ARCA HONORARIA IESU CHRISTI AC SANCTORUM...

Georges Maigret, Melchior Daelhem, ...

ARCA HONORARIA IESV CHRISTI AC SANCTORVM

Institutionem, præstantiamque Zonigeræ

SODALITATIS S. P. N. AVGVSTINI

complectens:

Gallicè quondam ab Exim: P. F. GEORGIO MAIGRETIO Augustiniano, S.T.D. LOVAN. Prouinciæ Belgicæ Ex-Prouinciali secundùm edita:

Nunc verò recens à P. F. MELCHIORE DAELHEMIO eiusdem Ordinis Relig. in Latinum versa.

ANTVERPIÆ

Apud Henricum Aertssium 1628.


ARCA
HONORARIA
CHRISTI ET SANCTORVM
ortum auctumque
Zonigeræ Sodalitatis
S. P. AVGVSTINI
continens
à P. F. Melchiore Daelhemio
Augustiniano è Gallico in
Latinum versa.
IHS
S. AVGVSTIN.
S. MONICA.
PANIS CONFORTANS CHRISTVS.
ANTVERPIÆ
Apud Henricum Aertssium.
1628.
Superiorum
permissu.

Admodum Reuerendo in Chriſto Patri ac Domino

D. CHRISTOPHORO OVTERIO

Celeberrimæ Abbatiæ GRIMBERGANÆ

Deiparenti, & Apoſtolorum Primatibus ſacræ Præſuli meritiſſimo,

Domino ſuo ſemper culto, ac colendo.

REVERENDE DOMINE. Quam retexẽdæ huic telæ ſum enauare iuſſus operam, quas lucubrando clepſydras abſumere coactus, illuſtri TVO

CANDORI cernuus polluctum venio. Inuitam mentem nolui aliorſum relegare, quæ ſuæ ſpontis inſtinctu, directò GRIMBERGAM, & ad TE properabat. GRIMBERGAM, dico, veterem Alcedoniorum noſtrorum ſedem, amicorum verè CANDIDORVM contubernium, Gratiarum Virtutumque lararium. Nam priſtina inclytæ huius domus in nos ſtudia perſæpe recogitanti, tanta dulcedo lætitieſq; in memoriâ renaſcitur, vt quodammodo mihi videar in præterita regredi, non ea quæ iam olim decurſa ſunt, recordatu reuocare. Ita eorum quæ nunc oculis ſubtracta ſunt, contemplatio pectori meo, ac intimis

mis pœnè ſenſibus implexa durat, perennat, & antè guſtata non ſine nouâ voluptate ruminat. Quoties enim *Bruxellâ* (cuius Iuventuti præeramus) beneuolo *D. Philippi Roubergij* Anteceſſoris Tui (cui ſit terra leuis) inuitatu GRIMBERGAM accerſſebamur, vt à quotidianis pædotribiæ moleſtijs, ac cerebrifagijs animos recipientes, per amœna illic ſacraq́; tēpe ſpatiaremur! Quantâ nos ille eſſedo ſuo aduectos affectione, humanitateque amplexabatur! Quàm familiariter ſerias in ſocietate noſtrâ (quantum dignitatis diuerſitas patiebatur) curas ad tempus ſepeliebat! Quàm lætis nos oculis albens ille (bona cuius pars è gremio Gymnaſi

nostri manarat) Ascetarum globus excipiebat, cui illo die, consecraneorum hospitum respectu ab assiduâ laborum contentione, induciæ indulgebantur, vt periucondo visu cinno candens illa nigrenti turmæ mista religiosè-hilarè recrearetur, distentumque arcum retenderet! & quas tunc duo nos, ad horam subinde ab alijs separes (iuuat certè meminisse) sermonum delicias resorbebamus! Nec enim inficiabere, quin tum temporis, cùm vnico adhuc gradu inferior, necdum inter Ecclesiæ Principes, Patriæque Patres censerere, amici ac populares vocaremur; à quo quantum mihi beneuolentiæ imò & beneficentiæ quandoque sit ad-

men-

menſum, non eſt huius loci ſigillatim prouulgare: ſat eſt inſinuaſſe, me, qui harum vſufructu gauiſus ſum, eas ventis non mandauiſſe. Iure igitur huc me animus adegit; ſed & res exegit. Quippe, quò ſe aptiùs flectat recens natus hic fœtus, hæc Religioſi de Religioſis exercitijs commentatio, quàm GRIMBERGAM ſacerrimi huius pugillatûs palæſtram, in cælitibus his operibus exercitatiſſimam? GRIMBERGAM, habitu dumtaxat, & nonnullis fortè legibus ac ceremonijs diſparem, cæterum Regulâ, AVGVSTINIANO patrocinio, votorumque trigâ comparem? GRIMBERGAM, eâ trabeâ cãdicantẽ, quâ

 Or-

Ordinis proauctorem ipsa Dei parens impertiuit; in eam vitæ normam iurauit, quam aureis radijs circumfusam *Diuo* NORBERTO *Diuus* transdedit AVGVSTINVS? GRIMBERGAM denique, quam Regulares olim AVGVSTINO etiam patre gloriantes Canonici (si Chronicis assentimur) insedere, coluere, sed ævi (quod sæpè fit) iniuriâ vastatam, defecere. Et in cuius ibi sinum, precor, se confidentiùs illatebrent cælorum Reginæ, & Doctorum (vt sic loquar) Regis admirandorum synopses: item *Augustiniana Sodalitas* (cui incumbit, ad Dei, Deiparæ, Duodecim-virumque Apostolicorum honorem, oden *Salue Regina*, terque

Chronic Balduin. Niniuen. & Aub. Myræi.

q́ue decies Dominicam precem cum toties adnexâ cæleſtis nuntij Salutatione revoluere) quàm in ipſius, qui percelebri Monachio, eidem Deo, Matri, & Principibus aſſeclarũ eius dicato auguſtæ amplitudinis poſſidet eminentiam? Qui Monaſticę diſciplinæ ab ipſo ſtatim ſuſceptę aſceſios exordio ſeueriſſimus cuſtos, gemini Patroni virtutes examuſſim iugiter eſt conatus exprimere? Qui domeſtici Prioris ſpartam adhuc tuens, ſubijces tam ſuave-ſeverè intra officij cancellos cõtinebat, vt ad Patrię negotia crebiter abeunti *Roubergio* (à quo in laborũ curarumq́; conſortiũ erat aſſumptus) inoleuiſſet hęc vox: *Securior domo cedo, quia tã fidũ in eâ optionẽ*

 relin-

relinquo, quia tam vigili Priore suffulcior. Tu enim iam tunc *Admodum Reuerende Domine*, vicariâ vt alter Hercules ope, GRIMBERGANVM axem illum tam viriliter atque vtiliter sustinebas, vt idem ille Præsul, viuentium numero tandem emigraturus vnicum TE, ex omnibus qui vacaturum locum expleres cygneæ vocis oraculo destinaret, quasi fidei commissum superstitem legaret, summæque potestatis hæredem adoptaret. Fiduciam boni euentus illi, dederat longo experimento comprobata virtus Tua. Illa enim auctius merebat imperium, quæ diuturno vsu prudenter imperandi sibi habitum ac promptitudinem fabricarat.

carat. Illa onerosi huius honoris sibi pondus vindicabat, quæ solenti labori iam callum obduxerat. Illa gradum proferre, splendidiorisque nominis maiestatem induere debebat, *ad cuius imperium totus populus obediebat, vno tantum regni solio minor Pharaone.* Gen. 41. Itaque cùm abundè expertus esset, quàm bene humeris Tuis sederet imperium: Tibi GRIMBERGAM, Te GRIMBERGÆ (quantum in se fuit) reliquit. Nec anhelum optata senem fefellêre. Quippe cuius desiderio (quod & manes eius credo exhilarasse) Tuæque Virtuti suffragiorum Religiosorum (quos TV non minus quàm liberos, qui TE non minus, quàm

pa-

patrem peribant) concentus, & consentiens Archiducis vox accedebant: quę arcano velut omine, eò vocabant, quò Deus, Antecessor, & Tᴠᴀ merita iam ducebant. Vt nempe *Philippi* quondam rogatu, *rigati* montes desuper: *Christophori* interuentu, Christo *cælesti pane confortarentur*. Neque verò hoc etiam mihi parum est visum ad rem pertinere; quòd insertum de Institutione, vsu, effectibusq́ue & olim & nunc sacratorum *panum* syntagma illi libetur, qui septem hieroglyphicos *panes* insignibus insculptos ostentat, & ad discutiendum quid emblematico hoc problemate innutum velit, Oediporum ingenia proritat.

Re-

Rerum igitur, *Tu Reuerende Domine*, animi Tui ornamentis, *Non generis dono, non ambitione potitus*: pręclarissimum munus Tibi à Numine delegatum constanter hactenus administras tam curace vigilantiâ, tamque fideli prudentiâ, vt reapse contestere, singulari TE Superûm favore, ad publicam felicitatem, & commune GRIMBERGENSIVM bonum augurató auspicatoque tralatum esse. Est interdum alius atque alius qui secundâ aurâ ad inopinos honores vectus insolescit, genij statum mutat (sceptrum enim & opes faciunt animos) in alto positus non nisi alta somniat; vsque-eò D. Bernardus.

vt

ſtis eſt ædes ſacra in *Bruxellenſi* Cœnobio noſtro noviter emergens, quæ non exiguum Tuæ munificentiæ iam ſecundò perſenſit adiutamentum. Vbi ſanè partes ſubiiſti boni comprimis auxiliatoris, qui nunquam rogari ſe poſcit, ſpontaneâ ſemper opitulatione ſubueniens. Teſtis eſt ibidem ædes noſtra veterior, quam Sereniſſ. ſimul, ac piiſſ. Sua Celſitudo *Iſabella Clara Eugenia*, miraculorum opinione celebri *Virginis Mariæ de Bono ſucceſſu* ſtatuâ, ſibi è Scotiâ quaſi Palladium aliquod miſſâ & à ſe, Principum Feminarum auxilio in priuato ſuo Oratorio ſplendidè exornatâ, indeque publicâ pompâ (quam ipſamet cum proceribus au-

aulicis, Concilijs, Magiſtratu, omni Clero & Ordinibus comitabatur) iſthuc tranſlatâ, iam pridem donauit; eamque ſolemnitatem Tv poſt Illuſt. ac Reueren. Mechlinienſium Archimandritam, auguſtiſſimis orgijs, & Pontificali Miſſæ ſacrificio condecoraſti. Teſtis eſt *Antuerpiana*, cuius chorum inter cæteros pietatis ac beneficentiæ laude conſpicuos Optimates præſigni ſubſellio honeſtaſti. Teſtes denique varij è conuotis noſtris viatores, qui perfacilem per-que-benignam Præſulis GRIMBERGANI hoſpitalitatem pari voce debuccinant. Vt planè videare (Plautino dicto) *Benefacta benefactis alijs pertegere velle, ne perpluant.* Plaut. Trinū.

** pluant.

pluant. Abſit ergò, & hoc infame ſtigma auertat Deus, vt noſtræ ingratitudinis vitio, omnia illa obliuionis periculum adeant, extrà conſpectum noſtrum ponantur, interiecto ſpatio obſoleſcant. *Omnia enim benefacta, in luce collocari ſe volunt*. Ego quidem & ad præterita animum retorquens, & præſentia tùm oculis, tum auribus contrectans, occaſionem hactenus ſum aſſiduè aucupatus propalam prodendi quãtum GRIMBERGÆ debeam vniuerſæ, & quantopere Tibi priuatim ſim obnoxius. Antiquus (fateor) debitor ſum, nec hactenus nomen expunxi; exſtitit tamen reuerà penes me ſemper meritorum intra memorem con-

Cic. 4. Tuſc.

conſcientiam concluſorum ve-
ſtigium; & ad gratiam aliquan-
do referendam ex aliquâ ſubori-
turâ cauſsâ ſemel conuerti, ſem-
per in votis, ſemper in primâ ani-
mi parte poſitum habui. Quæ
occaſio nunc quidem, quan-
quam serò anhelantem reſpexit.
Arripui igitur, vt quod iam olim
voti promiſſione tacitus ſuſcepe-
ram, nunc debiti religione re-
præſentem. Luculentius quid ac
quod volam magis impleat, Tua
magnitas poſtulabat & amplitu-
do, ſed cui noſtra paruitas, & ac-
ciſa ſupellex nequeunt reſpon-
dere. Do quòd maximè poſ-
ſum, ampliùs daturus ſi poſſem.
Animum offero, rem offero: ille
decumanus eſt & auguſtus, hæc

curta oppidò & angusta. Ego autem cum Poeta:

Auson. *Ex animo rem stare æquum puto, non animum ex re.*

Huic quod deest, suppleat amabo, & vetus Tua quæ in vultu paret & factis benignitas, & peculiaris illa, quâ me complecti soles, humanitas. Vale atque Salue *Admodum Reuerende Domine*, & *Finem Nestoreæ, precor, egrediare senectæ.* Et tu quoque ter felix tanto Antistite GRIMBERGA, verè MONS DEI, virtutum affluentiâ MONS PINGVIS, MONS IN QVO BENEPLACITVM EST DEO HABITARE, æqui, sodes, bonique consule, reciproco hoc affectûs in TE mei, post longiusculi interualla si-

ſilentij, etiamnum ſub obductis conſcij cordis cineribus peruiuentis argumento,

Gratia CANDORI ſi qua relata Tuo eſt. Mechliniæ, In Monaſterio FF. Eremitarum S. P. N. Auguſtini, 15. Octob. 1627.

Admodum Reu. D. T.

deuotus cliens.

Fr. MELCHIOR DAELHEMIVS
Erem. Auguſtin.

IN-

INTERPRETIS

AD

ZONIGEROS SODALES

PROGRAMMA.

LAxæ qualis auis fauens habenæ
Mauult remigio licentiore
Saltus, aëra, rura peruagari:
Et nunc in salicum salire ramis,
Olympumq́ue rudi ferire cantu;
Nunc in populeo pipire nido, aut
Inter gramina fœta pabulari,
Et pasci dapibus labore partis;
Ignara, aucupis amites vbiq́ue
Et emissitios latere casses:
(Queis heu! tandē aliquando nil opinās
Hametur, laqueetur, enecetur,
Et pœnas luat euagationis)
Quàm versâ vice strangulata clathris,
Conclauiq́ue decentiore septa,
In fulgentibus atrijs morari;
Heri delicium potentis esse,
Humanaq́ue locutione, χαῖρε
Propinare domesticis amicum:
Notas carpere, & eliquare voces,

Aut

Aut popyſmatibus remulcta blandis
In molli Dominæ ſinu cubare, &
Lautioribus imbui ſaginis:
Talis pleraq́; portio Iuuentæ,
Capiſtri impatiens ſalubrioris,
Ceruicem deamat iugo vacantem;
Bacchatur, vitulatur, inſoleſcit,
Mordet frena, recalcitrat, ruitq́;
Quo feruens rapit impetus, pigendam
Venans perniciem. domare tentas?
Aut fræni cohibere laxitatem?
Non ſecus volat in probè monentem,
Quam phreneticus æger in medentem:
Interim bona, corpus, & ſalutem
Perdens, proſtituens, valere mandans.
At vos ô meliore de metallo
Cuſa progenies, pij Sodales:
Vos curaciùs iſta peruidentes,
Sagaces aliena per pericla,
CINCTV prolubium ſacro proteruæ
Carnis comprimitis licentioſum:
Sylueſcentia ſenſa per virentis
Aeui luxuriem ſecatis acri
Legum falce, quibus (rei peræquo
Momentum pretio æſtimando) dulce

Suc-

Succollare putatis, & decorum.
Vinclo membra foris, polaris intus
Auræ particulam ligatis; vt ne
Quò lex, fasq́; vetat, fluant, ruantq́;
In passam vndique Cerberi sagenam, &
Vobis exitium suant perenne.
Macte ZONIGER ergo Grex, proborum
Flos vernans Iuuenum, præire perge
Coæuos pietate, perge strictam
Viuendi à teneris amare vitam.
Huius Vos monet applicata ZONA,
Huc Vos partulus sic vocat LIBELLVS

ARCA

ARCA HONORARIA IESV CHRISTI ET SANCTORVM.

Complectens institutionem præstantiamque Sodalitij piorum Zonigerorum, sub signis S. P. AVRELII AVGVSTINI militantium.

CAPVT I.

Honor à Deo Diuis impensus.

VNica licet beatitudo cælestis iustum sit Virtutis præmiũ; immortalitatis tamen conditione macti *honores* qui illam circumfluunt, & comitantur, eius præstantiæ sunt, vt quanquam haud aliâ mercede, quàm Honoris hoc honorario muneraretur, sufficienti nobis stimulo esse oporteat, ad Virtutis callem hilariter & exultim percalcandum. In

D.Thò. 1.2.q.2. a.2. resp. ad 1.

 quod

Arist l.1. ethic.c.5. Senec. l 3 ben f. c. 36. Cic. orat 26.

quod digitum intendisse mihi videntur Philosophi, asserentes: *Honorem esse virtutis præmium*: quippe quæ *Nulli rei magis inhiet, quàm honori: Nihil spiret præter honorē: nihilq; aucupetur pro suis sudoribus aliud quàm honorem.*

Eapropter diuina benignitas, quò vitæ in continuâ virtutum palæstrâ exercendæ nobis amorem ingerat, pollicetur, se non modò labores nostros purâ putâque beatitate compensaturum, sed & nos eorum gratiâ, amplissimis honorum ornamentis condecoraturum. *Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit illum Pater meus. Gloria & honor omni homini facienti bonum.* Quod ego illum non alio fini facere crediderim, quàm vt nos ad virtutem pellectet eâ escâ, in quam orexis nostra comprimis fertur, quod est *Honoris*, (vt vulgò loquuntur) *punctum*.

1. Reg. 2. Ioan. 13. Rom. 2.

Eiusdem ergô, *Arcam hanc Honorariam* inuulgatum eo; quò videlicet admirationis illustrium titulorum in frontibus Beatorum, qui in mundo virtute claruerunt insculptorum illicio tracti, eorundem vestigia connitamur insistere, eâdem corpus afflictatione cicurare, parique viuendi normâ, pari nos gloriâ dignos conficere. Neque tamen propositi nostri ratio in mediū proferendos sibi sumpsit, honorificos illos

& illuſtres obeliſcos, quos illis in cælo ſurrigit, dum gloriâ & immortalitate coronatos felicitat; auguſtalem namque hanc dignitatem, nec parte aliquâ viſionis oculus, nec auditionis auris, nec imaginatione abditus cordis receſſus eſt vnquam aſſecutus. A me quidem abſit gygantæa hæc temeritas; quippe cui dumtaxat ab animo ſuaſum eſt, ijs immorari honoribus, quos vitâ functorum in terrâ relictis exuuijs, ſanguini, oſſibus, cineribus, capillis, veſtibus, chordis, cingulis, alijſque id genus, quæ olim vſui illorum ſubſeruierunt, ſeculis exhibuit; idque in clientium gratiam, qui merâ perciti pietate illos in patronos, ſuæque apud cælites ſalutis proxenetas à ſe delectos inuocant, quorum Reliquias deuenerantur in terris. Qui ſanè Honores tantæ amplitudinis ac ſtuporis ſunt, vt non iniuriâ has Pſalmicinis voces expectorare liceat ac libeat: *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis.* & *Nimis honorati ſunt amici tui Deus!* Pſal 67. Pſal. 138.

CAPVT II.

Primus, quem Deus, Diuos honorando init modus.

DEvs Opt. Max. honorem quo ſuos proſequitur, multifariàm prodit. Nonnunquam enim directò erga ipſorum lipſana; vt cùm iis vtitur, velut ad patranda præclariora miracula inſtrumentis; inque apertiorem lucem ſua producat admiranda.

4. Reg. 3. Huius olim ſpecimen præbuit in oſſibus Eliſæi; quæ attacta, in gelida funerati hominis membra ſenſus animamque reduxêre. Item D. Stephani Protomartyris; vt ex ijs colligitur, quæ ſuper his ſcripta reliquit D. Auguſtinus. Lib. 22. ciuit. c. 8.

S. Baſil. D. Baſilius orationi in S. Iulittam inſeruit; quod ſimul ac illius diuæ conditorium digno pietatis ſtudio ad vicum quendam aquæ penuriâ exſuccum, delatum fuiſſet, derepente fons colore lympidus, ſapore melleus eruperit, qui deinceps toti Prouinciæ maris inſtar alumnus, euaſerit.

Tornacum Gallo-Flandriæ oppidum experientiâ compertum habet; cælum aliquando, arida ſimiliter miſerum quantum arente,

arente, post Reliquias S. Eleutherij (Diuus huic vrbi tutelaris est, & Apostolus) solemni apparatu vicatim gestas, euestigiò hiasse, dudumque aduocatis imbribus arua largiter irrigasse.

Narratu didicimus; Genuæ celeberrimâ Italiæ vrbe, horrificum illud mediterraneum pelagus abyssum identidem chasmate tam vasto reserare, quasi quod & ipsam vrbem, & contiguos raræ altitudinis montes deglutire gestiat; sed ciuibus ad Prodromi Saluatoris quos peculiari affectu percolunt cineres, procurrentibus, terrore quasi verberatum, retrahi, & ad alueū suum retrolabi.

B. Iordanum Saxonem Eremitam Augustinianum rarâ virtute clarum virum per Turonensem, cui Diuus quondam Martinus præfuit, Episcopatum, iter aliquando facientem vehemens adeò subitariaque febris occupauit, vt & iter sistere, & illi loco obhærere nihil sibi præter præsentem mortem promittens, cogeretur: sed recordatus interim D. Martini, & versiculi, qui id æui illius laudi solenter canebatur: O *Martine medicamentum, & medice*: vouet illi iconem, quam mox à reditu in Cōuentum suum illuc transmittendam; & quotidianam eiusdem, donec superstes foret, me- *B. Iord. l. 2. vit. fr. c. 20.*

moriam: Vbi igitur pauxillùm obdormiſſet, & denuò expergitus humo ſurrexiſſet, vegetum ſe vigentemque perſenſit.

S. Ambr. S. Ambroſius ſermone de gloria SS. Geruaſij & Prothaſij, hominem quendam viſu imminutum, reuerenti martyrum loculi contactu reluminatum aſſerit.

S. P. Auguſt. l. 22 de Ciuit. Dei c. 8. Recitatur aliud à Patriarchâ noſtro Auguſtino huic inſtituto conforme, ſed horrendum recenſu prodigium, ſuâ tempeſtate factum quodam loco eorundem martyrum honori conſecrato. Quidam, inquit, adoleſcens equum mero meridie abluens à malo genio inſeſſus eſt; & à marito vnius ſororum ſuarum, alijſque affinibus deportatus ad locum, quem ſupra meminimus (Victoriana villa erat ab Hippone-Regio minùs triginta millibus abſens) illicque iacuit ſemineci ſimilis; quo paulò mox ad Veſpertinas Pſalmodias pediſequis ſuis, & Veſtalibus aliquot ſepta ſolens ſuo more, ditionis iſtius Domina aduenit, quæ Deo pſallere occœperunt. Quarum voce ille quaſi percuſſus, & excuſſus eſt; horriſonoque fremitu altare apprehenſum mouere non audens, ſiue non valens, tanquam eo alligatus aut obfirmatus, attinebat: & immani boatu parci ſibi rogitans provulgabat; vbi, quando, quomodo ſe in iuue-

iuuenem illatebraſſet. Poſtremò exitum pollicitus, membra eius ſingulatim nominabat, quæ ſe in fugâ amputaturum interminabatur. Et hæc inter verba: informe ſcreans, hominem defecit. Oculus tamen eius in maxillam fuſus tenui venulâ ab interiore quaſi radice prominebat: ſed & ille ſinui ſuo repoſitus eſt, votiuis illic obſecrationibus per ſeptenos dies continuatis. Viſa ſunt itaque vno loco, vnoque tempore bina eademque præſignia ad imaginem dictorum SS. Geruaſij & Prothaſij miracula.

Luitprandus Longobardorum Rex Chriſtianiſſimus, in conſiderationem admittens, corpus S.P.N. AVGVSTINI (quod poſtquam Hippone ſex ſupra viginti annos quieuiſſet, in Sardiniam tranſmigratum eſt, ſtudio S. Fulgentij, aliorumque ſexaginta Epiſcoporum, iſthic edicto Traſmondi Wandalorum Regis proſcriptorũ exulantium; metuentiumque ne ab impuratis ethnicis, qui, totâ propè Africâ ſubactâ, ſacra quælibet ſuſque deque habebant, indignis modis tractaretur) admittens, inquam, in conſiderationem: ſacroſanctum hoc depoſitum obiectum diſcrimini, diræ Barbarorum illic principantium rabiei ſuccumbendi, direxit ad illos munerum opimitate dites Legatos, dans illis in mandatis, *Petr. Oldr. ep. ad Carol. Magnum de tranſlat. B. P. Auguſt.*

tis, quantouis pretio ſanctum vt pignus redimerent. Dederunt ergo ſe illi protinus in viam; & voto demùm potiti, quùm bonis auibus reduces, portum Genuenſem appuliſſent, ſecundi euentûs ſui regem fecêre certiorem. Qui ſe actutùm accinxit, & Præſulum, Procerumque regni frequentiâ conſtipatus obuiam illis occeſſit. Verùm, cúm iam ſacro magni Doctoris cadaueri propinquior factus eſſet, *Depoſitis regalis aulæ inſignibus, nudatoq́ capite ac pedibus cum maxima humilitate procedebat*: pretioſaſque reliquias, cunctis adſtupentibus præcedebat. Sunt autem hæc ipſa verba Petri Oldradi Archiepiſcopi Mediolanenſis ad Carolum Magnum ſuper hac translatione epiſtolâ. Tam igitur in viâ, quàm hâc æde Apoſtolorum Principis Papienſi: *In cælo aureo* dictâ, nobilis huius theſauri hoſpitæ, ſine numero miracula Deus famuli ſui honori fauens, expatrauit. Inter quæ non infimum eſt; quòd ponè memorati corporis tumulum mirificæ virtutis fons promanet, affluentes hodieque latices eructans; quales vetus ille eo ſcaturiens loco, qui Gentium Doctoris à ceruice reſectum caput excepit. Porrò, quicunque ſe conſciebant aliquo valetudinis vitio laborare, poſtpoſitis alijs quibuſque pharmacis,

macis, venerandum modò depositum confidenter attingebant, & illico sanitudinem nanciscebantur.

Coácta est vspiam quadraginta proletariorum transmontanorum multiiugis & immedicabilibus morbis affectorum confluges, inter quos conuenerat voti ac religionis caussâ, Mausolæū Archiapostolorum veneratum concedere, adductos in spem, se gratiosis illorum opitulationibus, optatæ valetudinis compotes rediturós. Ventum igitur cùm esset ad oppidulum quoddam, cui *Caua* nomen, Ticino tertiùm ferè lapidem absens, vbi subsidentes interquiescendi stationem legerant, conspexêre sub noctem in obiecto somnio, virum quendam Pontificalibus paludamentis splendidum, templum DD. Cosmæ & Damiani egredientem; qui approximans percunctatus ex illis est, quo tenderent? respondentibus, Romam, ad primatum duodecim-uirûm limina, in vrbem Papiam exerens indicem: Vadite, inquit, ad confine oppidum, & debito pietatis officio subite templum S. Petri *In cælo aureo*; quo facto, malorum vestrorum cassi redibitis. Excitati illi, & nimiopere hac visione demulcti, quæsierunt quid viri esset? responsóque innuit, se S. Augustinum Ecclesiæ Doctorem *Idem Author.*

 esse,

esse. Ierunt ergo, & ad primum sacræ ædis ingressum consonis vocibus exclamitarunt: *Sancte Pater Augustine, sicut pollicitus es, sanitatē nobis restitue.* Quibus vix dum finitis, emersum se quiuis è malo suo lætatur, & domuitionem parat, gratias Deo, gratias pangens Augustino.

Alphons. Orosc. chron. Ord. in vit. B. Aug.

B.P. Alphonsus de Orosco (vir olim famigeratæ sanctitatis ac doctrinæ, Catholicæ Maiestatis Ecclesiastes) auctor est; V. Pastorem quendam D. Augustini impensè deditum, qui tres annos solidos perpetuâ ac prævalidâ inualetudine fractus, dum quodam Solemnitatis eius peruigilio, canendæ forent Vesperæ, ad æris campani sonum, cœpisse oculos attollere: & insimul nō sine vbere lachrimarum effluuio, enixè precari S. Augustinum, vt pro consciscendâ incolumitate apud Deum pararius esse dignetur. Non frustrata spes est afflictum hominem. Inter hæc enim tam calida vota comparens beatissimus P. infit: *Ecce tibi illum, ô Amice, quem acciuisti: erigere, & ad templū ferre, festiuitatis meæ cantica vespertina modulaturus.* Triennis ergò clinicus è lectulo saliens, quasi qui nunquam ægruisset, templum ingressus, accinxit se ad eas, quas Deo, Diuoque Augustino debebat, gratias.

Vir

Vir quidam bonus mente agitans miraculorum diuinitùs per huius sancti lipsana effectorum copiam, accessit hierophylacem Monasterij, offerens illi summam pecuniariam, spe ab illo recipiendi vnicum Augustiniano corpori abscctum digitum. Verùm, hierophylax intemerandum hoc depositum tactu violare non ausus, & veritus quoque, sinceram viri mentem mœrore perstringere, acceptum alicunde aliûs demortui byssoque inuolutum digitum, Augustinianum fingens, illi impertit. Hunc homo simplex & integer singulari cum reuerentiâ suscipiens, nunc ori, nunc oculis admouebat. Ast clemens Numen non sinens hominem frustrà haberi, submisit illi S. Augustinum, his verbis affantem: Digitus ille quem meum esse ratus, tanto foues honore, non est, quod opinaris; nam meas ecce perintegras manus. Quia verò tu vnius meorum cupidissimus es: hem tibi dexteræ pollicem; quo dato, dictoque, disparuit. Quod vbi Longobardorum Regis & busti custodiæ aures penetrauit, mandatum est, veritatis explorandæ causâ, corpus obseruatè perlustrari, hallucemque dextrum deesse compererunt, absque eo tamen, quòd vllius mortalium vngue libatum esset corpus. Idem ille digitus hac

Ioseph. Pamph. Chron. Eremit. S. Aug.

Iord. ser de trãsl. S. Aug.

hac etiam tempeſtate, in Monaſterio noſtro montis Elcini Prouinciæ Senenſis honorificè adſeruatur.

Anno 1033. Ioſephus Pamphilus noſtri Inſtituti Signinus Antiſtes, in Annalibus Anglis ſe lectitaſſe fatetur: Archeuoltum quendam Cantuarienſem Archimandritam Romam cogitando Ticinum tranſiiſſe, & amicorum quos accumularat operâ, præter decumana dona (auri nempe talentum vnum, argenti centum, quæ puro animi ſenſu huic ſcopo contulerat) tantum effeciſſe, vt alterum S. Auguſtini brachium ſit conſecutus; quod ſingulari obſeruantiâ exoſculatum in Britanniam aſportauit, repoſuitque in ciuitate Benturienſi, in qua maximi ab omni plebe habitum eſt, ob magnifica quæ cælitus per illud ibidem exhibebantur.

Cuius non ignobilem partem tribus ab hinc annis impetraui à R.P. Guardiano, & Conuentu FF. Minoritarum Huyenſium repertam ab illis intra vetuſtam Sacriſtiæ ſuæ maceriem, cum hac in pergameno inſcriptione; *De brachio S. Auguſtini Doctoris*, reconditam. Quam quidem partem cryſtallo ſtrangulatam curaui decenter imponi ligneæ cuidam D. Auguſtini ſtatuæ, in Conuentu Huyenſi noſtrâ pridem operâ fundato, populoque anno 1626. die huic

Diuo

Diuo ſacrâ exponi, habitâ per Nos de ſacris illis reliquiis concione, quibus ex eo tempore mirificus à cunctis ciuibus honor ac cultus exhibetur. Arbitror autem hoc brachij fruſtum à Catholicis ex Anglia, cùm Henrico Octauo Rege ſacra quæque profanarentur, templa, & Sanctorum oſſa conflagrarent, ablatum, & hac ratione ad dictorum PP. Franciſcanorum manus perueniſſe.

Idem narrat; cor S. Auguſtini Lugdunum Franciæ obnixis S. Sigiberti eiuſdem vrbis Epiſcopi precibus obtentum, tranſportatum, & criſtallinæ lagenulæ obſeptũ fuiſſe; Deum autem tam mira confeſtim circa illud deſignaſſe, vt ad Sancti honorem, cor ipſum ſubſilire, ac quaſi reuiuiſcere videretur, quoties coram eo triſmegiſton Trinitatis nomen pronuntiaretur. *Pamph. ex Annal. Franciæ.*

Similes habuiſſe motus perhibent anniuerſariâ die cùm eo in maiori arâ depoſito, Sacrum fieret; quoties videlicet *Sancta Trinitas*, voce Sacerdotis exprimeretur: aut illa verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, reſonarent; aut liber eius, de Trinitate conſcriptus, coram eo expanderetur. Sunt qui addunt: id temporis, quo Auguſtinianum hoc cor in altari publicitùs exhiberi ſolebat, neminem ex hæreticorum vulgo auſum *H. Rom p. 1. Chrõ. c 35. Manuſcr. Salmantic.*

ſum fuiſſe eam eccleſiam ingredi: imò ſi quis temere idipſum attentaſſet, inſtar Ananiæ & Saphiræ emori eueſtigiò, vel ſaltem conſternatum ad templi limen iacere.

Ex Bull. Mart. V

Corpore S. Matris Monicæ iuſſu Martini V. ab Oſtijs Tiberinis (vbi mille & viginti annis cubuerat) Romam in ædem Auguſtinianam tranſlato, arduum dictu quæ acciderint; atque inter cætera, mendicabulum quoddam ab elephantiaſi mundatum, infantulus luſcioſus claro viſui redditus, alius quiſpiam à lue medicas manus ſuperante expurgatus abiit.

E conuotis noſtris nonnemo, qui has tralatitias Sanctæ Matris reliquias contigerat, perſenſit ſtillare per manus rariſſimi fragrantiſſimique odoris liquamen; quod inde nunquam potuit aboleri, donicum eas aquâ luſtrali diluiſſet.

Ioſeph. Pamph. in Chrõ. ord. & B. Iord. 2. vit. l. fr. c. 4.

B. Clementis Auximani Ord. Eremitici Prioris Generalis, qui naturæ conceſſit anno à partu virgineo 1290. Nicolao IV. Eccleſiæ Præſide, lipſanis, tantus miraculorum honor ab ipſo ſtatim funere diuinâ quaſi prodigentiâ fuit impenſus; vt ob copiam, præfatus Præſul cadauer humo mandari cauerit; indignum nempe cenſens, tantum monile præpropere occuli, vmbriſque damnari. Corpuſculo itaque hoc

per

per non paucas hebdomades, intuitui, pietatique cuiuslibet exposito, densus adeò ad illud hominum concursus fuit, vt ad ampliandum qui ad sanctum corpus ducebat tramitem, ædes quamplurimæ fuerint demoliendæ, corpore interim in integritate suâ perstante (torrido nequidquam rabidoque sole) & efflante ad stuporem omnium odorem desideratissimum. Lucis cassorum numeratu difficili turmæ huc deductæ, luce frui concessum est; manci plurimi, alijsque modis debiles, meritis huius B. Clementis firmiores validioresque reuerterunt.

Raynoldus Comes Barranus interceptâ à se Arce Bullonensi, anno redemptionis humanæ 1140. tanto-fretus-opere est naturâ loci, & Bullonensium Martis pullorum animositate, vt arbitraretur, etiam phalangem centenorum millium Herculiũ non valiturum hac se prædâ emungere; verùm, vt Leodio Bullonum allatæ sunt S. Lamberti Reliquiæ, tam dirum in modum à Deo mulctatus est, vt & terga vertere & Arcem x. Kal. Octob. Alberoni Eburonum Antistiti, Domino suo legitimo restituere sit adactus.

Anonymus M.S. Ioan. Placent. & Hist. D. Chapau.

Eâdem illâ profectione, tam Bullonij quàm in via, Deus ad amplius famuli sui decus,

decus, mutilo vni, coram illo, neruos relaxauit; phrenetico vni ſanum ſinciput dedit; paralyticum vnum reſtrinxit, è duorum oculis cœcitatem pepulit; & à Clerici cuiuſdam iugulo necem arcuit.

Vita B. Ioan. Sect. 6. Quid de Reliquijs S. Ioannis Saguntini dixero? quas tantâ etiam fauentiâ dignatus Deus eſt, vt tam penes eius buſtum, quàm locorum alibi, tres muti in officium ſermonis venerint; quatuor luminis exortes diem viderint: vni & viginti clauditas correcta; ſeptem ſtrabonibus luciditas aciei indulta ſit; totidem & triginta artubus tremuli reuincti, tres denati, renati ſint: alii aliter affecti in ſolidum reualuerint.

CAPVT III.

Secunda quâ Deus Diuos honorat, norma.

NOn rarò Sanctos ſuos eo nobilitat honore; vt mirificè etiam iis rebus vtatur, quæ eorum lipſana dumtaxat attigêre.

Abd. l. 9. Hiſt. Ap. Abdias primus Babylonis Epiſcopus poſteris reliquit: Regem Medum, cùm filium haberet mali ſpiritus hoſpitem effectum, in pœnam quod D. Thomæ duodecimuiro Apoſtolico animam excuti iuſſiſſet; humum, quæ exanguis Diui corpori admota

mota fuerat, acceptam energumeni collo appendisse, & cacodæmonem eiecisse.

Notum est è Ciuitate Dei Augustini pennâ constructâ; paupertinam quandam illuminam, cælum diemque cernere cœpisse; flores tantummodo palpebris applicando, quos manu gestabat, sed antè feretro Protomartyris admôrat. *Lib. 22. c. 8.*

Placida & Felicitas (quàm grata nomina!) germanæ S. Augustini sorores, egregiæ sanctitatis virgines, cùm (referente B. Patre Orosco, insigni pietate viro) ab optimâ parente Monicâ, & fratre suo Augustino, ad mundi nauseam instigarentur, quo liberioribus animis sponso suo IESV possent ancillari, perenniter monasticis se repagulis cancellârunt: Intra quæ, carneis motibus edomandis tantum operæ nauarunt, vt sex & triginta annorum, per quos, sacrum hoc sepimentum triuerant interuallo nullam personam sæcularem oculis contrectârint; tamque pertinaci ac rigidâ se abstinentiâ coartârint, vt nihil vnquam carnium, nihil lautitierum esitârint, pallam semel à matre impositam, nunquam deposuerint. Porrò precibus eâ sedulitate incubuêre, vt vltra diurnarum horarum pensum tantum quantum est Psalmorum quotdiebus euoluerent. Hæ (vt paucis *Alphōs. Orosc. chron. ord. in vit. B. Monic.*

expediam) id potentiæ diuinitùs ſunt indeptæ, vt flores ſuo pollice meſſi, ſuiſúe manibus affricti, ac dein morbidis adhibiti, ſanos eos ac ſaluos redderent eueſtigiò.

B. P. Auguſtinus de Terrano, ſiue de Thermis, Ordin. Eremit. S. Auguſtini, mirum etiam quanto miraculorum ſplendore, quæ effulsêre circa eius reliquias, aut ab eis tacta cimmelia, dignatus à Deo ſit. Floruit autem anno aſſertæ ſalutis 1308. cuius vitæ compendium hîc carptim viſum eſt recenſere. Ante eius ad Auguſtinianam Religionem vocationem, Iuris vtriuſque laureâ, & maiorum imaginibus clariſſimus, in aulâ Manfred. Siciliæ Regis elucebat. Quo manu cuiuſdam Caroli aduerſarij ſui ex humanis exemptó, inualentiâ mortiſue pauore perplexus vouet Deo, ſe cuidam Religioni approbatæ nomen daturum, ſi ad valetudinem detur reditio, pœnitendique ſpatium prorogetur. Dei igitur beneficio conſanatus ad Ordinem S. Dominici animum adiecit, famuliſque dimiſſis accerſi ad ſe iubet iſtius inſtituti religioſos, hoc cum iis conſilium nempe collaturus. Verùm illi ad herilia exequendum mandata egreſſi, fortè in duos Eremitas Auguſtinianos incidunt, quos hero adducunt; qui obſtupefactus culpam in famulos

B. Iordã. l. 2. vit. frat. c. 7. Ioſeph. Pamph. in chron Fra. Aug

Herold. ord. Prædic.

mulos parùm curaces tacitus reijcit, mentem diſſimulantiâ obtexit, Auguſtinianos ciuiliter dimittens, alios iteratò ablegat. Quibus rurſum Auguſtinianos repræſentantibus, & Prædicatores eſſe autumantibus, offenſior Dominus, tertiò famulos ad Cœnobium PP. Prædicatorum, locum deſignans, habitum deſcribens, deſtinat. Aſt cùm illi, Angelo duce, ad monaſterium S. Auguſtini diuertiſſent, inuentum Cœnobiarcham, cum aſceto ſocio, Domino ſuo reponunt. Quo ille perculſus, ſentiſcens vi maiore rem geri, eſſeque in fatis, vt albo Auguſtiniano inſereretur, morem ſine mora geſſit, & opibus inopibus diſtributis, in Siciliam ſeceſſit; vbi Auguſtiniano-eremitarum contubernio adgregatus, ad annos plures clam omnes piè delituit, ad ima acclinis obſequia, in pertingendis lancibus quouis mediaſtino promptior, in euerrendis domeſticis purgamentis, ſtipe oſtiatim colligendâ, & ad quoduis id genus proiecta munia potiſſimus, donec proditus aliquando tandem, & agnitus Sacerdotio inſignitus, dein ſupremus conſcientiarum in Romanâ vrbe Iudex (Pœnitentiarium vocant) ac non multò poſt, Ordinis ſui vniuerſi Pręſtes delectus ſit. Quo tamē magiſtratu demum abdicato, in Prouinciæ

Senensis eremo prorsus separ, austeriori vitâ se macerauit; quâ decursâ, reddidit animam ei, à quo fuerat mutuatus. A cúius morte, Deus superstites eius exuuías variis miraculis clarificauit.

Massanus quidam iuuenis in foueâ operans à terra desuper eum obruente, effocatus interiuit. Soror autem fratrem enectum contuens, salutem illius beato huic viro etiam atque etiam commendans vouet, se inuestibus plantis vrnam eius adituram & imagunculam oblaturam. Quo voto sic exprompto, gelido exanimique corpori vitales confestim spiritus rediuêre.

Puella quædam in similem, sed aquis non inanem scrobem lapsa, & elisa reuixit, simul vt parentes ad eiusdem Beati lipsana perfugissent.

Religiosi non procul vrbe Senensi in agris soporati ventrem, anguis per os temerè patulum irrepserat; qui vt primũ studiosè suppetias B. huius Augustini expetisset, virosum alui incolam enixus molestiam omnem expuit.

Iuuenis quidam ramice grauiter lancinatus nuncupato huic Beato viro voto, medelam expertus est.

Bulla Mart. v. de transl. B. Mon.

Dum impossibile propinquatu foret populo Romano ad corpus S. Monicæ, hic pileum

pileum, ille zonam, alius aliud quidpiam eò iaciebat, vt vel aliquâ ſaltem viâ contingere poſſent reuerendi corporis capulum.

In hoc mendica quædam infantulum ſuum quem incurabile malum octonis annis exagitarat, impoſitum, extemporaneâ ſanitate roboratum recepit.

Æqualis conditionis Romana quædam Fuluia dirâ cephalæâ leuatur, dum anhela propter ſepulturam B. matris egerit ſuſpiramina.

Non lautioris fortunæ tertia, Mariola nomine, vnius è noſtris commilitibus germana ſoror, inſanorum vberum cruciatu penè inſaniens, ac tantùm non exanimata, ſolâ manus ad ſarcophagi B. Monicæ admotione reualuit.

Nobilis quædam Romana paralyſis iuxtà & epilepſiæ plagis miſera, vtriuſque remedium ſortita eſt precibus ibidem piâ mente conceptis.

Filiola quædam repentinâ contagione afflata, quamprimum ac ſeriâ ſponſione addixit, ſe omni, quod vitæ ſupererat, tempore, non aliâ vſuram togâ niſi formatâ ad habitum quem Monica in viuis geſtârat, conſanuit.

Infantulus, hauſto improuiſè toxico, animam agens, per parentum eidem Matri

ſupplicum obſecrationes, è mortis limite retractus eſt.

Ord. chron. in vita B. Monicæ. Refertur ab Oroſco; pannuceum hominem, puſtulis, vlceribus, varijſque affectionibus alijs, lepræ non abſimilibus ſqualidum, vocitatâ in aduocationem ſuam D. Monicâ, feſtinis gauiſum fuiſſe, non abſque ingenti præſentis populi ſtupore, ſuppetijs.

Faber, qui ferramenta nonnulla in vſum ſandapilæ excuderat, defioculus aut ſemicœcus, lucidum lumen indeptus eſt. Eius autem coniux, permultos annos ſterilis, fœtum vtero incluſit, & poſt feliciter excluſit.

Oroſc. vbi ſup. Romanus quidam ciuis alius, nummorum magnâ vi in Medicos, viſui, quo orbus erat, recuperando nequidquam depromptis, calidum ſimul vt ad Heroidem hanc animum miſit, deſiderij felix factus eſt. Idem euenit ſimiliter affecto infanti, qui à parentibus ad Conuentum noſtrum Romanum perlatus, pronuntiatiſque ad tumbam bonæ Matris pauculis quibus inſtructus erat, preculis, nemine non obſtupente, clarè cernendi initium cepit.

Euſeb. l. 7. c. 16. Cathedra quam olim S. Iacobus inſedit, ſummo antiquitùs apud Chriſtianos fuit in pretio, ob ſtupenda quamplurima,

quæ

quæ per illam Deus operabatur, fuitque custodita (Eusebij verbis) *tanquam memoria magnæ sanctitatis.*

Pari quoque de caussâ, parili etiamnum studio adseruatur Romæ cœtus Apostolici Præsidis sella, quanquam anilitatis & cariei refertissima; prout his oculis in eius Basilicâ vsurpauimus.

Indiæ Orientalis ciuitate Malipurnâ, permira Deus in hunc vsque diem spectanda exhibet, ad S. Thomæ maius decus. Saxea namque crux, quâ coram martyrio iam conterminus geniculabatur, anniuersario eius die, quando sub incruento Missæ sacrificio Euangelium recitatur, clarissimis radiis circumfunditur; tantique dulcoris humorem exudat, vt aromatico vngume perlitam iures.

Bozius tom. de signis Ecclesiæ l. 2. c. vlt ex Osor. l. 14.

CAPVT IV.

Tertia Dei Diuos honestandi methodus.

HOnorificat etiam amicos suos Deus, facta suspectum merentia operans ijs rebus, quæ corporali illorum necessitati commodarunt; quod genus sunt pilei, tunicæ, vestes, strophia, alia.

Sulpitius, vitâ S. Martini, profert mulie-

rem, quæ prolixum acerrimumque sanguinis fluorem, ad primum vestimenti istius Præsulis contactum suppresserit: non secus quàm omninò compari lue languida Hemoroissa euangelica ad fimbriæ Saluatoris tactionem.

Vita S. Bern. A notarijs gestorum D. Bernardi accipimus; Hispanum magni nominis Antistitem, insigniter molestâ cephalalgiâ, misso dumtaxat in caput suum mellitissimi viri capitio, exoneratum.

Item alium eiusdem monetæ Præsulem, quâcunque identidem ægrimoniâ lacesseretur; non solitum vti aliâ medicinâ, quàm iusculo, quod sibi iubebat apparari in eadem lance, vnde cibatus fuerat Bernardus, & doloris defectionem nunquam non fuisse expertum.

Boz. to. 2 de sign. Eccl. l. 15 c. 11. sig. 67. Visus impos mulier cùm induuiis S. Hannonis Vbiorum Metropolitæ oculos sibi perfricuisset, continuò eius vsum auspicata est.

Palla, quâ operiebatur olim S. Brigida, hodieq; in Vrbe Domina custoditur puerperis obiecta, acerbis eas cruciaminibus deonerat. Thomas Bozius vir ornatissimus, & cuius fides extra periculum est, hoc sibi experimento, & præsenti inspectione in comperto esse, testatur

Addam

Addam & illud, ex relatu boni cuiuſdam Patris Belgæ, qui annos non paucos Monaſterium noſtrum Salmanticenſe habitârat: Deum non modò miranda efficere per D. Ioannis Saguntij, cuius ſuprà facta mentio, ibique reconditur, reliquias: ſed, quòd maiorem inducit ſtuporem, per eiuſdem etiam indumenta, tunicam potiſſimùm hactenus eâ in domo conſeruatam: quæ, ob quotidiana per illam edita miracula, apud celebratiſſimam illam Academiam tanti eſt, vt quotieſcunque ad ægrotos defertur (impetratum hoc enim à conſuetudine eſt) ſeptem religioſi (quibus ſe bis adiunctum fuiſſe relator, ait) flammantia ſex funalia, & ingens populi caterua iugiter comitentur; de quo videatur ipſius à nobis concinnata vita. *Sect. 6. c. 22.*

Cui non liquet, ſudaria & ſemicinctia Paulina languentibus & Cacodæmones hoſpitantibus admota, languores omnes dæmoneſque eliminaſſe? *Act. 19. 12.*

Quàm anguſti quædam laris & farris mulier, S. Nicolao Tolentinati (conſignauit B. Iordanus) vitam cum morte mutanti dum adeſſet, & ne hilo potiri reliquiarum eius quiret, apprehensâ aquâ, exanimati pedes eluit; quam exinde duo de triginta annis domi habuit incorruptam, eâ- *Iord. vit. fr. l. 2. c. 11.*

 dem-

demque diuersos, graues, ignotosque morbos medicata fuit. Quis mortalium vnquam consimilem honorem auditione percepit?

CAPVT V.

Quarta, quâ Diuos Deus honorat, ratio.

SAnctorum suorum honori velificatur etiam Deus, ijs rebus mirabilia designando, quæ per sannam & delectamentum corpusculis eorum adhibentur; cuius generis sunt catenæ, funes, & his similia plura exercitæ in illos tyrannidis & carnificinæ machinamenta.

Pontifices Max. totaque vniuersalis Ecclesia tanti pependêre ferramenta & manicas Doctoris gentium, ob admiranda quibus diuinitus illustrabantur; vt illas Constantia Augusta Constantinopolitana, potentissimaque mundi Heroina consequi nequierit, quemcunque apud Gregorium Magnum lapidem mouerit, affatim sibi gratulans impetrato nonnihil æruginosæ scobis, siue limaturæ numellis illis defrictæ.

Greg. Magnus epist. ad Constãt. & Boz. tom. 2. de sig. eccles. l. 15. c. 11. signo 67.

Non minoris ducta sunt collegæ eius vincula, quorum memoria in fastos relata, an-

annuâ totius Ecclesiæ religione Calend. Augustis recolitur.

Sigibertus, & post illum Baronius chartis sacrârunt; quendam Ottonis Imperatoris Comitem à teterrimo spiritu insessum, vt primùm, obtestante Cæsare, à Ioanne tertio decimo immissâ collo eius D. Petri boia esset, ab eodem fœdum spumante, demugienteque, in publicâ spectantis vulgi coronâ fuisse derelictum. *Baro. to. 10. annal. anno Domini 969. Bozius sign. eccl. 67.*

Ex eodem haurimus; quòd ex quo circa annum verbi incarnati 922. delati sunt in Franciæ quendam pagum *Iesedis* appellatum aliquot pili, Apostolorum primipili mento euulsi; series eorum qui cultu harum reliquiarum adepti sunt incolumitatem peruenerit ad 170. præter contractos, exoculatos, deartuatos, aliter deformatos: in censum etiam non tractis ijs, quorum membris fatales hominum hostes dominabantur, qui omnem computum excedentes, redierunt illinc sanis sincipitibus, exturbatisque stygijs possessoribus, vbi honorum Apostolicis comis cultum exhibuissent. *Baron. tom. 10. annal. anno Christi 922.*

An non igitur mirùm in modùm *Mirabilis Deus in Sanctis tuis?* An non testata veritas est, ô Deus, *Nimis honoratos esse amicos tuos?* Proh! quantis in amoribus habes, quid-

quid

quid illorum à morte ſuperat! Quàm baſilica tua bonitas, quæ non dedignatur honore, id quod ſolo cinere, limoque conſtat? &, ſi tanti putas oſſa, pulueres, reſtes, capillamenta, & huiuſmodi ſeruorum tuorum corruptelæ debitas (vt ſic loquar) quiſquilias; vt per illas ſtupore fœta inexhauſtæ potentiæ tuæ memoracula manifeſtes, quantâ illos aucturus es gloriâ, decretorio anaſtaſeos die, cùm è fauillis erectos, interminæ immortalitatis, agilitatis, ſubtilitatis, titaniæ claritudinis dotibus opulentabis? Quantis honorum phaleris compturus es animam, ſi tantis maſſam carneam? Quâ lætitie, quâ voluptate implexurus es illam miſericordiæ tuæ vlnis, ſerto flaccere neſcio redimiendam? Quàm ſublimibus, bone Deus, beatorum ille cuneus titulis cumulatur?

CA-

CAPVT VI.

Pecularis Diuos honorandi forma diuinitus obseruata.

SVpereſt enim alia non inferiori condigna miratione; putà hæc. Quandoquidem non eſt integrum Chriſti aſſeclis continenter præſto habere oſſa, induculas, boias, alias Sanctorum quas venerentur, aut coram quibus genu nixi procumbant, reliquias; promittit Deus, miraculorum ſe adoreâ impertituros illos, qui hos Diuos piâ ſaltẽ mente ſuſpiciũt, anhelo recordatu proſequuntur, in conciliatores ac cælicos interpretes deligunt; ad quos oculos dirigant ſuos. Quid enim aliud ſonant eiuſdem hæc in Exodo verba: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis & zelotes, faciens miſericordias in millibus his qui me diligunt, & obſeruant mandata mea?* Quid aliud ſuauiflua cæli Reginæ hæc oda: *Miſericordia eius à progenie in progenies timentibus eum?* Quibus æcaſtor dubij ſecurum ſit, ter Max. illum Deum, fidelia famulitia ſua non tantùm miſericordiâ beare, verùm etiam, quò amplior illis honor accedat, benefica ſpiritualiaque chariſmata, poſteris eorum; quin omnibus, qui

Exod. 22

Luc. 1.

qui pro suâ virili eos excolunt, & rememorant, elargiri. Hac praxi vtebatur Deus in Patriarchis, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, alijsque integerrimæ perfectionis viris, quorum liberis ac nepotibus (quanquam bonam partem idololatriâ pluribusque vitijs conspurcatis) primorum respectu, horrea beneficiorum admensus est. Et hæc ratio est, cur veteres Hæbræi Deum quiduis postulaturi, nomina plerumque maiorum suorum, quos per-ei-fideles fuisse non nesciebant, intercalarent. Exempli gratiâ.
Iudith 9 Famosissima illa Iudith suæ genti salutem venatura. *Domine, inquit, Deus patris mei Simeonis, subueni quæso mihi viduæ.* Et magnus ille Mardochæus. *Nunc Domine Rex Deus Abraham, miserere populi tui, quia volunt nos inimici*
Exod. 32 *nostri perdere.* Et Moyses: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Iacob seruorum tuorum fidelium.* Hunc obtestandi tenorem hac etiam horâ continuãt in quibusdã Litanijs, quas inter se suo ritu recinũt. Infit enim sacerdos

Domine, propter Abraham peregrinum tuum.
Domine, propter Isaac ligatum tuum.
Domine, propter Iacob in Scala exauditum.
Domine, propter merita Ioseph Sanctum tuum.
Domine, propter Moysen, ex aquis eductum.
Domine, propter Aaron magnum sacerdotẽ tuum.
Domine, propter sanctum Dauidẽ fidelẽ seruũ tuũ.

Dein-

Deinde reliquum vulgus reſponder: *Fac miſericordiam populo tuo Iſrael*: quæ verba ſic enuclees. Non infitemur, ô Deus, omnem numerum vincere ſcelera noſtra, quæ iure ſummo, aurium tuarum aditum ſupplicijs noſtris, obſtruunt, nihilo tamen minus obteſtamur, vt te iuuet infimis poſtulationibus noſtris acquieſcere, vel ob horum illorumque merita, qui intimæ admiſſionis amicorum tuorum, compertiſſimæque fidei ſeruorum tuorum pyctacio inſerti, perennant.

Nos quoque impræſentiarum imploramus primiter quidem ac principiò Deum ipſum, nomen IESV CHRISTI pronunciantes, freti eâ quâ nos animauit fiduciâ, cùm dixit: *Amen dico vobis, quidquid petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis.* Quam orandi formulam imitatur & Eccleſia, omnibus Collectis diuini officij ſubnectẽs: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.* Hoc nempe ſenſu: O Pater æterne, quidquid te oramus filij tui Ieſu Chriſti fauore fulti conſtanter audemus. Hoc tamen nihil obſtante, Deus auens Sanctos etiam honoris & gloriæ ſuæ conſortes effici, plauſtris fauorum nos ineſcat, quo tenacius eorum recordatui inhæreamus. *Ioan. 6.*

CAPVT VII.

Nouem principes modi, quibus Catholici Diuorum memoriam à funere celebrant.

Cap. *Audiuimus.*

FIt enim multifariam; ac primò quidem Apotheosi, siue (vt vocant) canonizatione eorum; quæ ad solum Romanum spectat Pontificem. Nihilque est aliud, quàm generale Ecclesiæ testimonium, certum atque indubitatum gloriæ ac sanctimoniæ hominis iusti, qui è viuis excessit; virtute cuius exploratum habemus, animam huiusmodi ex hoc tempore cæleste cum Deo regnum diuisisse; proindeque honore, laude, religionis officijs adornandum, & cælitûm tabulis, vt ab omni Ecclesia talis audiat, & agnoscatur inserendum.

Secundò; dum post Apotheosin, vitas, res gestas, beneficia eorum ac admiranda orbi terrarum priùs ignota, in lucem & litteras proferimus, quò sanctitas & virtus illorum toti Ecclesiæ dispalescat.

Tertiò; dum religiosâ eorundem reliquias oris ac manus adhibitione dignamur, imò adoramus: non quidem latriæ, vnico Deo reseruatæ, neque hyperdouliæ, soli CHRISTI IESV humanitati, tanquam à diui-

à diuinitate ſeparatim conſideratæ, Deiparæque competenti cultu: neque adoratione etiam ciuili, quam cuiuis indiſcriminatim creaturæ fas eſt exhibere; ſed douliæ, quæ Diuorum gloriæ, ob eam quâ pollent inter diuinam humanamque mediâ excellentiam, meritò debetur.

Quartò; dum iis delubra, aras, lararia, fana, & varij nominis ſacraria ſtruimus. Etenim ſicuti magnificentiſſima illa Salomonis ædes, non modò fuit libandis victimis, votiſque nuncupandis, quin etiam myſticæ Arcæ inibi locandæ conſabricata; ſic & templorum, quæ à nobis excitantur prima quidem finis eſt, vt in ijs corpus & ſanguis CHRISTI IESV immoletur, Dei verbum enuntietur, auguſtiora Eccleſiæ Sacramenta erciſcantur; ſecundaria verò, vt Beatorum illic reconditorum ſuperſtites exuuiæ decenter cuſtodiantur; aut, vt ea loca, in quibus Catholicam fidem ſanguine ſuo ſigillârunt, pœnitentiæ exercitijs inſudarunt, virtutum ſtudio immortui ſunt, honeſtentur: aut denique vt illorum nobis veniat in mentem, quoties pedes noſtri in ipſorum templa.

Quintò; dum illis ſtatuas erigimus, agalmata, iconeſque illorum in templis noſtris pictoris artificio deſcriptas ſuffigimus; ni-

Exod. 25 hilo ſequiùs, quàm Cherubinæ apud anti-
3. Reg. 6. quos imagines ſacro in adyto ſtatuebantur. Referunt enim templa noſtra in terris cæli Empyrei, quod Sancti maieſtate voluptiâque ineffabili felices incolunt, faciem. In eis autem illorum imagines locamus, ad æuiternam incomprehenſibilis gloriæ huius memoriam.

Sextò; cùm diem quo mortem obiêre (quem Eccleſia natalem indigetat) ſolemni feſtiuitate celebramus, grandes agentes hoc ritu Deo grates, quod militanti Eccleſiæ obtigerit nouitius apud Superos interceſſor; Triumphanti applaudentes, quod muſteo conciue ſit aucta, qui fatalem humanæ hoſtilitatis trigam triumphârit.

Septimò, cùm per Eccleſiam vniuerſam encomia & præconia illorum ingeminamus, Deo adolemus, penſum canonicarum pſalmodiarum conficimus, memoriam inculpatiſſimæ conuerſationis eorundẽ nobis ob oculos ſtatuentes.

Octauò; dum ærumnis preſſi, ſubſidio nobis vt veniant, obnixè deprecamur; non quòd ipſi pleniſſimâ pollentes auctoritate miſerias noſtras cum ramento (vt adagio dicitur) abolere, & poſtulatis obſecundare queant; ſed, qui cum Deo arctiori quaſi familiaritate coniuncti, amicitæ illius priuile-

uilegio comparare nobis præpoſſint, quæ poſcimus. *Voluntatem enim timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, vt ait ille.* *Pſal.144*

Nono deniq́ue; dum ad illos vota noſtra traiicimus; vtpote, vouendo nos Diuorum vigilijs cibariam voluptatem repreſſuros, aut religioſã adornaturos profectionem verſus locum huic aut illi Sanctorum deſacratum. Qui quidem agendi ritus eſt actus douliæ, quo gratias illis habemus, tanquam opitulatoribus, obtento quopiam beneficio: aut ſi nihil aſſecutum eſt, fatemur his votis, Deo illos peramicos aut intimos eſſe, quâ prærogatiuâ, procliue illis ſit, conciliare nobis quiduis boni. Fiunt hæc omnia in Eccleſiâ Catholicâ, memoriæ cælicorum indigetum, tam ad referendas Deo gratias, pro incomprehensâ quâ ſuos beauit gloriâ, quàm ad his gratulandum partam felicitatem, reddendoſq́ue illos hoc pacto magis in obſequium noſtrum pronos ac proclinatos, ſi quando fuerint, requiſiti, & duxerint expedire.

CAPVT VIII.

Forma memorandorum in hoc mundo Diuorum ſpecialior.

REſtat enim præter antè dictas omnes, quędã alia. Cùm videlicet ingẽs aliquis fidelium cœtus vnum ſibi, aut plures è Beatorum ordine in patronos ſeligit; & pietatis coagulo quaſi fratres ac ſorores vnanimi conſilio decernit ſe illis in clientelam fidemque contradere: illos accire ſecundùm Deum in patres ſpirituales, Diuoſque tutelares; in quos ſcilicet ſalutis eorum potiſſima cura recumbat, qui præſto ſemper adſint, auxiliumque adducant, quotieſcunque aduerſitatis quidpiam ingrueret. Hæc autem taliter viuendi ſanctio ſortita eſt nomen *Confraternitatis*, *Societatis*, aut *Sodalitatis*, prout lubitum eſt. Porrò, quò hic cultus adſciti à ſe patroni celebrior euaderet: interque omnes conſtaret, intimum ipſorum votum eſſe, virtutes illorum, & religioſa pro viribus inſequi veſtigia, adſumpsêre characterem aliquem conſimilem illi, quo adoptatus ille patronus dum inter viuos moraretur, inſigniri conſuêrat. Sic nempe peregrini, ſiue fratres S. Ia-

S.Iacobi, ſcipionem, lagenámue; Hieroſolymitani, arundinem; SS.Trinitatis, ſcapulare crucis effigiem præferens; Dominicani, corollam precatoriam; Franciſcani, funiculum; & noſtri denique manipuli commilitones (de quibus hîc ſermo) tenellum è corio cingulum. Qui quidem baculi, cannæ, roſaria, reſtes, zonæ, nihil ſunt aliud, quam indubitata quædam ſymbola, innuentia, quòd, ijs notati ſexûs vtriuſque ſodales propalam religionis officium, & pro ſuâ facultate, Patronorum ſuorum imitamentum profiteantur: in ſpe non paruâ habentes, Dominum Deum, qui ſuorum honoris perſtudioſus, eos olim audientiâ dignatus eſt, qui nomina Abrahæ, Iſaac, Iacob, aliorumque cæli ciuium interpoſuêre, & beneficiorum myrmecijs illorum gratiâ locupletauit, eundem, inquam, Deum, Sanctorum ſuorum gratiâ, præſidio, ſolaminique in quibuſuis negotijs, afflictationibuſque adfore ijs, qui ſe curæ, tutelæque illorum concrediderint: hoc ipſum externâ illâ teſſerâ, palàm omnibus conteſtantes; ita vt quilibet veſtrûm cariſſimi Sodales, Zonæ Dei parentis ac D. Monicæ geſtatione dicere videatur:

Non ſum ignarus, ô Deus, informibus me, & multiformibus adſtrictum vitijs, neq; pacto vllo

 mere-

mereri, cuius preces ad aures admittas; aſt ſubeat mentem, amabò prædilecta tua Parens, S. Monica, S. Auguſtinus, S. Nicolaus Tolentinas, fidiſsima illa capita hâc quoque Zonâ olim cincta, inq; illorum gratiam, quos veneror, inuocóque, ſic piè accincti miſerere.

CAPVT IX.

Zonigerorum Matriſ-Virginis Sodalitas inſtitutionis ſuæ ſplendore celebris eſt.

Auguſt. de Tolent. de indul. corrigiat. fol. 15.

ILluſtris hæc Sodalitas auſpicijs Eugenii IV. Pontif. Opt. Max. incœptionem nacta eſt, poſteaquam cæleſtes honores decreuiſſet glorioſiſſimo Confeſſori S. Nicolao Tolentinati, anno poſt Chriſtum natũ. 1446. Poſtridie Pentecoſtes: Reuerendo admodum *Patre Gerardo Ariminenſi* Generalis titulo ad clauum ordinis conſidente. Approbata dein, confirmata, & non vulgaribus priuilegijs, ac ſpiritualibus indulgentijs ab Innocentio Octauo diuitata.

Demùm à *Iulio* II. *& Leone* X. indulgentijs longè amplioribus exaucta, vt ex calce huius tractatûs liquebit. Quæ indulgẽtiæ, gratiæ ac priuilegia *Clementis* VII. *Pÿ* V. aliorumque non paucorum Pontificum, *Gregorÿ* præſertim *tertÿ decimi*, calculis validiùs irroborârunt. Quorum poſtremus dilucidum annexuit ad cuiuſuis

ſtatûs

ſtatûs, dignitatis, aut conditionis homines diploma; quo cauet, ne quis mortaliũ turbare, impedire, aut quodcunque huic Sodalitati audeat negotium faceſſere: nõ obſtãtibus quibuſlibet alijs conſtitutionibus quarumcunque perſonarum (Apoſt. ſede exceptâ) contrarijs: cũ horrendis Dei omnipotentis, ac PP. Apoſt offenſæ minacijs.

F. August. Tolent. de indul. Corrig. fol. 53. & 54.

Eandem quoque *Clemens* VIII. ſua confirmatione ſtabiliuit teſte Bullâ, abs R. P. F. Simpliciano Torrino impetratâ, fautâque generaliter omnibus Sodalibus Zonigeræ Sodalitatis Bononiæ inſtitutæ, & *Sodalitati Diuæ Virginis de conſolatione* in Conuentu noſtro S. Iacobi eiuſdem ciuitatis, auctoritate Gregorij XIII. anno redemptionis humanæ 1566. Idibus Augusti adunitæ. Cæterum, in bulla iſta Clementinâ, indultum eſt præfato Patri Simpliciano Sodalitatis huius promotori ac tutori, librum indulgentias prærogatiuaſq; à varijs Põtificibus (Gregorio quã maximè XIII) perceptas complectẽtem, typis expreſsũ prouulgare. Ex interuallo deniq; non longo, eadẽ hæc Sodalitas Paulli V. (teſte eius quæ X. Cal. Septemb. 1605. Romę data eſt Bullâ, ac denique Gregorij XV. (quod ex eius diplomate III. Non. Iun. 1621. inuulgato liquet) confirmationibus communita fuit.

Extat Bulla Clemẽt. VIII. de confir. priuileg. & indul. confrat. corrigiat. apud Simplic. Torren. in libell. Confrat. Ibid.

CAPVT X.

Sodalitatem hanc illustrant tituli, siue Patroni quos præfert.

SVnt autem illi quatuor meritis præsignes, aut potiùs Patronæ duæ, Dei nimirum parens, & S. Monica; patroni totidem; S. nempe Augustinus, & S. Nicolaus Tollentinas. In Dei Matre patronam reperiunt Virgines sanè quàm propitiam ac fauentem: In D. Monicâ, quæ vtroque statu eminuit, Matronæ ac Viduæ; in D. Patre Augustino, qui ex diuturnis errantiæ diuerticulis ad salutis tramitem postliminiò retractus est, patronum acquirunt exquisitum infelices mundi proci, vitiorumque mancipia; vtriusque sexûs Religiosi, cæterique pij, qui mundo nuntium misêre mortales, sanctissimo fulciuntur aduocato, veræque virtutis ideâ S. Nicolao Tolentinate, tam consummato, omnibusque numeris absoluto religioso, vt eius paucos pares mundus tulerit.

Fuêre autem S. Patroni, Patronæque tantæ apud supremum Numen virtutis ac meriti, vt encomij mei non egeant; quippe qui meo cothurno tenebras potiùs obductu-

rus

rus ſim vitæ eorum ſanctitate radiantis faci, quàm lucem. Agnoſco enim lubens quàm ſit impar eorum dignitati mea facundia. Veruntamen vt cariſſimorum Sodalium noſtrorum colendi, & in humanis calamitatibus implorandi illos affectum nonnihil excitem, magnitudinem illorum tribus verbis libatum ibo.

CAPVT XI.

Summarium magnitudinis, potentiæq́; Virginis MARIÆ, *huius Sodalitatis Patronæ principis.*

TAm conſummatæ magnitudinis extitit Dei Parens, vt eâ præſtantius quid moliri in manu Dei non fuerit. *Ipſa eſt* (ait Bonauentura) *quâ maiorem Deus facere non poteſt.* Creatu facillima forent diuinæ potentiæ mundus, cælumq́ue his infinitè magis auguſta; mulierem autem Dei Matrem maiorem, non poſſibile.

Magnifica fuit caſtitatis aureolâ, corporis mentiſue pudicitiâ nunquam imminutâ; ante enixum, in eo, toto æuo illimis, illibata, integra.

Magnifica, charitatis iubare. Creatorem enim ſuum tam efflictim deperijt, vt animam eius ſpiritualem Æthnam dixiſſes,

flammas diuini amoris in præcordijs eius bullientis euergentem immemorabiles.

Magnifica humilitatis monili. Angelo enim ſaluere illam iubente, & iuſto titulo *gratiâ plenâ* appellante, quaſi quæ hoc ſe elogio indignam duceret, conſternatur; & quanquam tredecim quatuordecimúe, vnde creata erat, regum ſeriem texere poſſet, ab omni tamen nobilitatis iactantiâ linguam abſtinens, inglorio ancillæ vocamine gloriatur.

Hæc planè fuit præalta illa humilitas, cuius ſtupore ictus thalamum ſuum perſonat ſponſus: *Quàm pulchri ſunt* (aiens) *greſſus* *Cant. 7.* *tui in calceamentis filia Principis!* Quibus ſanè verbis inſinuaſſe videtur Spiritus ſanctus, quòd, ceu in amorem Iudith per eius ſandalia illectus eſt Holofernes; ſic & Deus calceamentorum, id eſt, altiſſimæ huius Nymphæ humilitate prouocatus illam (liceat ſic loqui) incordiârit, & in parentem cooptârit, illâmet hoc ipſum Cantici ſui *Luc. 1.* plectro promulgante: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*

Opuſculo de laud. D. Virg. c. 7. D. Bernardus non eſt veritus dicere: gloriam Dei ſe ampliùs in vnicâ hac virgine, quàm in totâ creatorum machinâ, exerere.

Fulgor faciei Marianæ ex lectiſſimis eius virtutibus adſurgens tam fuit intenſus, vt

cùm

cùm ſe illa aliquando ſub Dionyſij Areopagitæ notæ ſanctitatis viri adſpectum dediſſet (ſcribentibus id nonnullis) non hominem quempiam mortalem, ſed ipſum Numen eſſe crederet. *Niſi ſcirem alium eſſe Deum* (inquit ter felix hic ſpectator) *hanc virginem diuinitatem ipſam, ac deitatem eſse exiſtimarem.* D. Dion. Areop.

Magnifica deniq; eſt omnigenarum virtutũ encycliâ, pietatis tamen præcipuè & miſericordiæ; adeò vt ſicuti illa eſt, quæ patrem miſericordiarũ, & totius cõſolationis Deum peperit, ita ſit illa miſerationis & ſolatij mater, erga eos, qui miſeriarum iugo ſuccollantes, ſub eius præſidiũ gemebundi confugiunt. Atque hinc fluunt illa S. Ephrẽ optimi virorũ verba: O *Virgo & Mater Dei mei, ſpes omnium deſperantium, tu tutus es portus eorum, qui inter huius maris gurgites & vndas fluctuant.* Tu *es mũdi ſolatium, captiuorũ redemptio; tu es quæ orphanis patrocinaris, tu vinctos redimis, tu es deniq; lætitia & ſalus omniũ languentiũ. propterea, protege me ſub alis tuis, fac mecum miſericordiam, qui ſcelerum cœno penitus ſum immerſus.* Non *enim eſt alius ô virgo, in quo anchorã iecerim niſi in te.* Et melleus Abbas. *Cariſsime hæc glorioſa virgo eſt ſcala peccatorũ, eſt maxima mea fiducia, eſt illa in quam omnis mea ſpes inclinata recumbit.* Et alibi. *In periculis,* B. Ephr. orat. de laud. B. Mariæ. Bernar ſerm. de aquæ-ductu.

in

in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita: Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, &c. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras; ipsâ tenente non corruis, ipsâ duce non fatigaris, ipsâ propitiâ peruenis. & S. Anselmus: *O virgo gloriosa, ab exordio reconciliationis humanæ in hodiernum diem, tu semper tutum es asylum ad te confugientium.* Imò, non desunt viri sanctitate præstantes, qui cum eodem Anselmo non verentur asserere, peccatores interdum citiùs exaudiri, Christum per B. Virginem inuocantes, quàm immediatè eundem precantes. Dum enim sic mediatè (vt vulgò loquũtur) Christo supplicatur, ipse seuero Iudicis supercilio cognoscens talem hominem tam citâ exauditione indignum, protollit postulata; verùm, vbi per intercessionem SS. Genitricis suæ imploratur, neutiquam in indignos precatores, sed in materna merita iaciens oculos, illius respectu gratiâque promptiùs acquiescit postulatis: quanquam ij, pro quibus obsecrat, censeantur exaudiri, non merere.

Neque solum in se, indoleque sua misericors est; sed, quod excedit, videtur ipsam Dei misericordiam intra iuris ac potestatis suæ cancellos constrictam tenere. Dicebat olim Hesteri Assuerus: *Si dimidiam regni*

Hester. c.6.

mei

mei partem petieris, dabo tibi. Deus noſter, grandis ille Aſſuerus vaſtiſſimi regni miſericordiâ iuſtitiâque conſtantis Rex, ſuo arbitrio iuſtitiam reſeruauit. *Mihi* (inquiens) *vindictam, & ego retribuam.* Miſericordiam 3. Rom. 12. autem, dimidiam nempe regni portionem, veræ Heſteri virgini Mariæ ceſſit; idque auctoritate tam latè patenti, vt cui illa cunque miſericordiam fauerit, Deo ratificante, potiatur. His non diſſonant D. Anſelmi Lib. de excel. B. Mariæ c. vlt. verba, inquientis quod *Deus omnia ei ſecum poßibilia donauit*, quoad incredibilem nempe erga afflictos commiſerationem ac ſympathiam.

CAPVT XII.

Miracula nonnulla opis à cæli Regina auxiliandis peccatoribus præſtita, teſtes.

QVandoquidem ergo ius omne diuinæ Hierolt. de mi. racul. B. Mariæ exempl. 8 miſericordiæ diſpenſandæ tranſlatum ſit in ſacratiſſimam virginem, non eſt relictus de eius munificentiâ ambigendi locus. Nam cur alioqui *Matris miſericordiæ* dignitate gauderet, ſi illam ritè flagitantibus non propinaret? *ſileat miſericordiam tuam Beata Virgo* (ait Bernard.) *qui te inuocatam in neceßitatibus ſuis meminerit defuiſſe.*

S.Do-

S. Dominicus cùm Romæ concubiam sub noctem in prece totus esset, CHRISTVM IESVM triade lancearum obarmatum, quibus mundo videbatur exitium intentare, prospexit; sed adfuit cõfestim Maria Virgo, quæ pedibus eius adpronans, deprecata illum est, iracundiæ ardorem oleo misericordiæ temperare, per quam victus ille choleram expuit, sanctosque Dominicum & Frãciscum, qui sceleratos mortales à stipendijs dæmonum, ad Christi signa reducerent, in orbem amandauit.

Hierol. exemp. 9. Alius quidam, cui Deus ob vitæ innocentiam subtilia crebrò mysteria detexerat, cùm aliquamdiu orando durasset, & interea m, externatus tribunali diuino videretur adsistere, cernit iussum Angelis dari, vt valido spiritu buccinas animent; quod illi integratis sæpiculè vicibus explebant, totâ mundi machinâ frondis arboreæ instar cōtremente, & prout sibi videbatur, susque deque versâ; Deiparam interim ante filium suum supplicem hæc in verba prorupisse: *Vel amicorum meorum respectu, miserere, amabò, mundi fili suauißime.*

Cæsar apud Herolt. Cæsarij commentarijs publicatum est, nonnullam Deiparentis effigiem in æde quadam sanctâ sudoris aspergine immaduisse, vt spissas eius ex facie guttas mulieres

res abstergerent; cumq; quid hoc portenderet dubio mentis iudicio omnes fluctuarent; energumeno quodã adiurato respondisse diabolum: Dei Filium iustitiæ suæ lacertum, quo mundum cum puluisculo deleat exeruisse, sed eiusdem genitricem vectem illi precum suarum obmoliendo, ab hac sentẽtia deterruisse: & quod hinc tam copiosus ille sudor in imagine, vt indicio esset nempe, quàm validâ precandi contẽtione Filium obtuderit Mater, quò gentis humanæ perniciem auerteret.

Presbyter quidam per Albigensium Hæreticorum terram vians, exectam sibi ab illis, quod ad Dei eiusque Matris gloriam in vno è fanis ipsorum, sacris fuisset operatus, linguã, postquam diutulè dictam Virginem subsidio vocitasset, sartam denuò tectamque recepit.

Hier. ex Cæsar. exem. 30 D. virgo. restituit Sacerdoti præcisam ab hæreticis linguã.

Exorbato cuidam Dydimo solemnium supplicationum à Bonifacio summo sacrorum præside in Ecclesiæ necessitatibus decretarum tempore, vota ad Dei matrem in hæc verba dirigenti: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses, &c.* visus ex cõtiẽnti donatus est, in constipato spectantiũ hæreticorũ, & exin ad Christi iugum se flectentiũ cateruâ. Quã ne obliuio rem obliteraret, etiam in præsens incentionis istius vsus est in Romanâ Ecclesiâ.

Hierolt exem. 3.

Hæretici per Virg. Mariæ preces conuertuntur.

By-

Byzantinus Monarcha S. Ioanni Dama- *In vita B. Ioan. Damaſ.* ſceno iniuriâ, de ſcriptione litterarum textricum proditionis Imperij, delato dexteram præcidi iuſſit. Quæ cùm aliquamdiu publicæ affixa cataſtæ pependiſſet, contulit ſe ille ad propinquam Diuæ Virginis iconem, præ qua queritans quiritanſque, opem per ſacras odas à ſe hac eadem illius honori pridem exaratas obſecrauit. Quæ illi extemplò & manum reſtituit, & brachii trunco tam fabrè conſociauit, quaſi quæ nunquam ab eo diſſociata fuiſſet. Quo cognito Imperator, Ioanneque accerſito, eandem illam manum diſſuauiatus eſt.

Abſcißā D. Ioan. Damaſ. manum Deipara reponit.

Vincent. Spec. Hiſtor. l. 7. c. 8.

Peregrinorum non ignobilis congeries (erant enim iis immixti ſpectabiles honeſtique Heroës, Antiſtites, Presbyteri, alij) quos pietas Hieroſolyma pelliciebat, nauem quandam inſcenderat, quorum vnus fallente eum pede in mare præceps datus, dicto ocyus ex oculis fluxit. Porrò, quia ſimul vt ſenſit corpus ad vadum demitti, mentem ad Deiparam præmiſit. Quid fit? Offert ſe illi accita Virgo inter ſubmergendum, pallioloque quo amicta adueniebat illum ſub aquis obnuptum, ſoſpitem littori applicat, toto comitum grege ad hoc facinus admiratione defixo.

In

In eodem Speculo cernere licet, Abbatem nonneminem in pelagi Britannici meditullio cum comitibus alijs Monachis, alijs non Monachis, tam euidens discrimen incurrisse, vt in imum barathrum absorbendi ob horrendæ tempestatis exortum, viderentur. Salute igitur humanitùs desperatâ, ad vota confugitum est, & hoc Marianum panegyricon: *Felix namque, &c.* Pronuntiantibus porrò illis hunc versum: *Ora pro populo, &c.* ecce tibi in mali apice tanta lux de subitò diradiat, vt noctem in merum diem versam diceres, & malacia confestim pelagus complanauit. *Ingens religiosorum agmen è periculis marinis Deiparæ patrocinio emergit.*

Iulianus Apostata in Persiam abiens minitabatur, se D. Basilium vnà cum omni populo Cæsariensi internecione in reditu demessurum. Sed vbi suos bonus Pastor in D. Virginis ædem coëgit, rogatum illam eiusque prolem, vt hoc scelerosissimi tyrãni consilium dissuere dignarentur, conspexit illam S. Mercurio (cuius ibidem lipsana cum armis adseruantur) Iuliani cædem imperantem: quam propriâ ille lanceâ (quæ etiã postridie sanguinolenta reperiebatur) executus est. Ita vt hoc portentũ viri ad hũc quidem modum è medio latum, Cæsariensi autem populo ille pauor Diuiparæ intercessione sublatus sit. *Amphi. loc. vitâ S. Basilij.*

Ex lib. Fabric. Eccl. B. Mariæ Torn. *Dira contages accisa Tornac. Deiparæ interuentu.*

Anno millesimo nonagesimo secundo mulctauit Deus territorium Tornacense, Tournesisiense, conterminasque Prouincias tam flagranti pestilitate, vt obuium quemque quammox inficeret. Indixit ergo Rabbodus esuriales ferias Veneris quodam die à diluculo in vesperem continuandas, corrogataque plebe in Matris Dei eiusdem vrbis Ecclesiam, vnanimis illam precibus poscere iussit, vt intercessionem suam pro afflicto apud Filium cœtu interponat. Quibus votis & interpellatione, non modò lues hæc grassationem, sed quotquot eâ suffusi, (quorum numerus numero comprehendi non poterat) ægritudinem desierunt. Cuius ne beneficij aboleretur memoria, hâc etiam tempestate videre est super eiusdem basilicæ vestibulo iconem, cum hâc epigraphe: *Imago ægrentium.*

A Pictauia imminens infortunium auerruncat Deipara. Bouch. Annal. Aquit. p.3.c.6.

Pictauia Galliæ oppidum per proditionem venum erat Anglis data, astu cuiusdam è Gubernatoris amasijs, qui sub obscurum noctis claues erat suppilaturus, remque suam peracturus. Porrò, cùm & ipse Gubernator, & ciuium bona pars cultui D. Virginis impensè afficerentur, vrbicas illa claues, proditorem vt fugerent, abdidit, ac postliminiò in manus Gubernatoris insinuauit, atque hinc euênit, oppidum

non

non modò ab exitio vindicari, ſed & Anglos in aggeribus traditorem opperientes mutuis ſeſe vulneribus contrucidare.

B. Iordanus Eremita Auguſtinianus (de ſe ipſo narrat) cum in itinere quodam cõuoto comite ſociatus currui inſideret, quo Boda fluuius erat traijciendus, ſenſit in eius meditullio currum in bina fruſta diripi, & anterius quidem cum equis ad ripam tranare, ſe verò cum ſocio, medijs retro in fluctibus attineri, & cum vndarum impete, quæ fratrem tandem deglutiuêre, miſeriter luctari. Quam ob rem bonus Pater nimiſquantum conſternatus eſt, aduerſoque inſuper, poſteriorem illam partem pluſquam centum hexapodibus in altùm fluminis ſubſediſſe, expers humano, ad patrocinium virginale flexus eſt, & continenter à piſcarore quodam diuinitus illuc directo retractus euaſit. *B. Iord. l. 2. c. 20.* *Pr. quidam Auguſtinianus naufragus D. Virginis operâ ſaluus euadit.*

Idem dùm iam Prouinciam ſummo cum imperio moderaretur, contulit ſe ſimiliter comite ordinis adiuncto, ad perluſtranda recepto more aſcetarum habitacula; iamque aliquandiu eſſedo vecti, coacti ſunt in maligno quopiam meatu deſcendere. Porrò, quoniam nox incubabat: ita ab inuicem diuulſi ſunt, vt non ante proximam auroram, ſe reuiderint.

Quidam Pater Augustinianus canum dentibus eximitur D. Virg. ope.

Cæterùm cùm inter calamitates alias pons oppidò quàm angustus bono Patri transeundus esset, passus est inuolitantium hinc inde canum tantos assultus, vt iam iam dilaniandus videretur. Ast voto concepto, menteque ad Matrem-Virginem missâ, integer à mordicibus manè ad vrbem appellit; & hactenus disparati eodem penè loco adùnantur.

Bonus quidam Pater latrones euadit Deiparã inclamando.

Alius ab hoc Prouinciæ moderator quidam, cùm inter viandum grassatores obuiã habuisset, ansæ ignarus aliter elabendi, in condensâ semiadultarum segetum siluâ se condidit; sentiscensque illos huic latibulo suo propiùs sensim propiusq; iungi, spem salutis in Mariâ collocans insusurrabat ei hunc versiculum: *Monstra te esse matrem, sumat per te preces, &c.* Qui sanè tantum ponderis sortitus est, vt, quanquam sicarij illi tantum-non pedes eius premerent, irrepertum tamen præterirent.

Iosephus Pamphilus in Chron. Fr. Augustin.

Anno à virgineo partu 1418. Petrus Fazonius homo rurestris, domicilium, vt sic dicam, morborum, solenti se more indies balnei propter montis Ortoni pedem scaturientis, lotione focillabat. Huic ibidem precibus immoranti augusta Virgo se sistere, simulque submonere visa est, vt sibi illic loci lararium erigat, vbi tabellam suâ insi-

insignitam effigie sit offensurus; hoc expatrato, optatam corporis incolumitatem redhibiturus. Quæ simul vt ille iussa facere statuisset, & exaptum struici dispiceret locum, incidit eius in oculos almæ Virginis imago, cuius ad contuitum, è malis omnibus confestim exiuit. Cæterùm rumor oraculi & insimul miraculi huius adeò spatiosè diffluxit, vt cateruatim plebs huc confluxerit, locumque tam largiter opulentarit, vt prænobile illic Ordin. Augustiniani monasterium surrexerit, quod etiámnum ob insignita, quæ ad imaginem istam percrebrescunt, benefacta frequentatur.

R. P. Alexander Oliua Saxoferratinus (qui honoratè perfuncto Archiguberni Ord. Augustiniani munére, Pij secundi nutu, sacro Purpuratorum Senatui accensus fuit) dum triennis adhuc pusio in fontanum vadum immersus, ac semianimis rursum inde emersus esset, mater desperatæ salutis sobolem intuita, Virginem-genitricem auxilio vocat, pariterq; spondet, se illã, modò viuens & vigens sibi à Deo restituatur, monasticæ disciplinæ dicaturam. Quid fit? pòst paulò, magnæ Heroinę meritis ad optatum vigorẽ redijt, & Augustinianũ institutũ inijt: in quo sanctitudinis eminẽtiâ *Iosephus Pamph. chron. Fr. Augustin. 1459.*

 sic

Boni mortis impaui-di.

ſic inclaruit, vt cum ſub ipſum tranſitum ad mortem, metum ponere ſuaderetur. *Quid*, inquit, *ego timeam, qui ad nuptias vado?*

Ioſeph. Pamph. Chron. Erem.

Petruzia Genazena conſpicuæ ſanctitatis matrona, concernens nonnullum noſtri ordinis Cœnobiorum ruinam eminari, ad reſtaurationem eius animum adiecit: & iam primas templo admouet manus. Verùm, dum huic conſilio diſtractis fortunis omnibus, potior fabricæ moles infecta reſtaret, & hinc ſanníonibus cauilli, religioſis triſtitiei ſeges ſereretur: Bonis, inquit, animis eſte; bene ſperate, fratres mei; pauco enim poſt-tempore Dei beàta Parens, & D. Auguſtinus orſo à me operi vltimam haud dubiò apponent manum. Porrò, à prolatis his verbis anno ne vix quidem euoluto, videri cœpta eſt in ſemiſtructæ ædis muro parientis Virginis effigies; cuius ad ſpectaculum cùm turmatim omne vulgus eleëmoſynis onuſtum adflueret, breui poſtea, non modò media quæ templo exædificando, ſed ampliſſimo inſuper aſceterio adiungendo ſufficerent, congeſta fuêre. Incidit autem hæc apparatio in ſeptimum Kal. Maias, anno 1467. diem D. Marco ſacram. In ſumma; ſi aueret animus, exquiſitiùs ſupputare ſtuporis ingentis opera quæuis, ac beneficia Magnæ Matris benig-

nitate

nitate ijs præſtita, qui anhelo illam pecto-re anguſtati adiuêre, nullum finem inuen-tura eſſet narratio. Reliquum igitur eſt, vt Sodales noſtros exobſecrem, ne vnquam negligant pio ſenſu ingeminare terdecies quot diebus ad Archinymphæ gloriam cæ-lici paranymphi Salutationem, & Anti-phonam: *Salue Regina*, perfidentes; illam ſupplicibus ſuis clientibus fauorem patro-ciniumque nunquam non commodatu-ram.

CAPVT XIII.

B. Matris Monicæ alterius huius Sodalitatis Patronæ virtutes.

HÆc à præluſtribus Tagaſtenſis Afræ vr-bis parentibus oriunda, exactâ eorum curâ, cœleſtis doctrinæ, fideique Chriſtia-næ elementis cum lacte imbuta adoleuit. Adhuc puellula clàm parentes, crebrò in ſacram ædem ſecedebat, cui integros pro-pè dies incluſa virgineis Deum precibus (quod vtique à Facondiâ matre ſuxerat) compellabat. Porrò, vbi ſeriùs plerunque domum regreſſa aſperioribus aliàs verbis, aliàs verberibus, quod incomitata & pedi-ſequæ negligens pedem extuliſſet, inceſſe-

retur, æquo id ob amorem Christi stomacho digerebat. Toto pueriliis æui cursu nullis iuuentę ludicris laxari, nulli coæuarũ cœtui misceri visa, solius Dei communione pascebatur. Sæpe etiam numerò, sopore noctu excusso, è torulo ad precationem transiliebat: ita vt pari pede, ætatis & virtutum (pietatis putà, miserationis, & velut adnatæ in inopiosos trophimos suos solicitudinis) caperet incrementa.

Monica paupertinorum nutrix. Accidit non semel, vt accumbens clàm è mensa panem subduceret, & miserationis affectu in egenis sinibus sepeliret. Peregrinos hospitio, ægros visitatione demulcebat. Parentibus, qui eam stirpi suæ atque opibus congruenter splendidiùs comi curabant, verecundè quidem, sed non sine splene, obnitebatur. vix tertium decimum ætatis applicarat annum, cùm Carthaginensi cuidam nomine & genere Patritio *Monica nuptum datur.* desponderetur; quem sponsũm quàm tremulla mente, quàm ingenuo pudore virguncula receperit, humana lingua non effetur. Quæ autem pictoris tam artifex manus, quæ lectissimas & cælitùs haustas eius dotes, pudicitiæ castitudinisq; admistione venustatas, peniculo delineet?

Pia S. Monicæ cum marito conuersatio. Ancillata sponso suo est, non sequiùs, quàm reuerens & perurbana filia, amicissimo

mo parenti, & vt ille homo Adriâ iracundior, echinoque asperior esset; viriliter tamen eius intemperies comiterque semper peruorans, complacere illi, & ad digituli crepitum subseruire granditer cordi habebat; hâc vt illum methodo & sibi deuinciret, & ad Deum, cuius aures assiduò tundebat, manu quasi duceret.

Si quando maritus grauiùs subinde ferociret, & in vxorem fureret; illa ne μῦ quidem respondere, iam feruido, inq; fermento iacenti, nec iram irâ retaliari; sed ad deliniendum illum inusitato quodam popysmate factórum illi suorum rationem reddere. Quinimò, vicinis ad illam vlulatum superque maribus suis questum ventitantibus, Monica non modò animi defectum illarum solatio erigebat, sed & ad durandum in patientia maritalium iniuriarum hortabatur. Concastigabat quoque luxum earum; quòd factitio gressu, pauoninaque ceruice obambulantes, integumenta sua ad fastum, & vanæ gloriolæ lenociniũ venditarent. Easdem inter se identidem dissidentes Monica incredibili modestiâ correptas, reconciliabat. Nosocomia, & alias id genus munificentiæ palæstras crebriùs obibat; vbi ægrotãtibus & plãtas amore candẽs proluebat, & amœnâ sedulitate famulabatur.

Monica coniugis infirmitates susque deque ferebat.

Monica vicinarum dissidia consolidat.

Monica satagebat pia infantium instructionis.

Marito tam in coniugali pacto, quàm bonorum eius tuitione iugiter perfîda, instruebat liberos præuiis innocentiæ exemplis, satagens illis instillari Dei timorem pariter & amorem, omne scientiarum genus, & quidquid ad laudabilem vitæ normam desideratur. Nullas cum precibus pagebat inducias, quibus coniugem expugnare, Deoque vincere posset. Cui quamuis natura ingenium impendiò truculentius & ferinum in modum rabiens insevisset, tandem tamen (id efficiente quã spe pridem illa præceperat, peculiari Superum gratiâ) deturgere, rigoris pertinaciam exuere, in placidos sensus, assumptâ agninâ facilitate migrare, & in gratiam cum vxore, Deoque cœpit redire; cui deinceps, eius iam timore, & continentiæ dono pollens, constanter adhæsit. Qui quidem exactis ab auspicio nuptiali decem circiter annis; postquam à conuersione diutilè cum pudicâ coniuge Christianis legibus piè vixisset, per pretiosam mortem, quæ præsentibus ærumnis metam figit, transiit ad beatiora. Monica verò, exin ad alteras nuptias nec animum, nec calculum adiecit; sed perpeti continentiâ nihil habens antiquius, ad piorum munerum executionem omnes curas, cogitationesque contulit.

S. Monica coniux fatis concedit.

Ve-

Veſtem autem adſumpſit eius formæ, cuius amicta in viuis fertur glorioſa Dei Mater (prout hæc illi perilluſtri viſione indicium fecit) qualem nos infra cap.27. & 28.ſumus exſculpturi. Tali autem eſt vſa integumēto (vt Paulus Bergomēſis auctor eſt)quamdiu vitâ: inſtituitque monialium adæque veſtitarum Virginis Mariæ famulitio dicatum Collegium. Sed interim, dum excuratæ pietatis Vidua, tam ſanctâ viâ ad ſalutem graſſatur, vnicus eius vnicè carus filius Auguſtinus, omnium artium ac diſciplinarum gurges, ſed infelix heu! in labyrintho Manetis erroſe it perditum. Hoc equidem materna viſcera peniſſimè exulcerauit, ingeſſitque flagrantem indagandæ filij ſalutis zelum. Quam ob rem plorando, gemendo, ſingultandoque id omnem dedit operam, vt illum erroribus emancipatum in directam Chriſtianæ religionis liram redigeret. Inhiabat præterea tam ſitienter immutandæ eius voluntati, vt à ſolicitando Presbyteros, ceteroſque Deo addictiores homines, qui pro ſalute eiuſdem in diuinis myſterijs obteſtationes interferrent, nunquam ſuperſederet: egeſtate perditis vbivbi fortè occurſantibus eiuſdem intentionis reſpectu, ſtipem erogaret: nemini non è Cœnobitarum cœtu,

Monica à mariti funere nigro amictu veſtitur, qualem geſtauit Deipara. Bergom. vitâ S. Monicæ.

Monica inſtituit Religioſarum collegiū.

Monica conti- nuis precibus filium ad ſanam mentem verti flagitat.

Monica filij ſalutem Re-

fic-

ligiosis commendat. sicubi offendisset, prædilecti pignoris salutem commendaret; idque tam denso plerumque lacrimarum fluento, vt terram sub oculis humectarent.

Flet filij exitium. Atque hinc post tot lessus, & lamenta effectum est, vt aliquando inter supplicia (planctu nempe iam effœta, & inanita, animo in somnũ profuso) conspicata sit per ligneos quasi clathros somnorinam candidati cuiusdam Ephebi imaginem, nuntiãtem illi: Deum in fletus & suspiratus eius aciem proclinasse, remigraret proin à tam grandi mœstitudine, animumq; serenaret.

Angelus Monicæ luctũ leuat. Alloquebatur autem illam his verbis: *Esto viuitoq; secura; vbi enim tu, ibi & ille.* Quæ visio animæquiorem, & solatio offertam reddidit. Inter hæc Augustinus desertâ Africâ, in Italiam tendit; bona autem parens

Monica filium in Italiam sequitur. conuersionis eius icta actaque desiderio, terrâ illum mariq; ex interuallo sectatur.

Quò vt deuenit, Mediolanũ se contulit, ibiq; Archiepiscoporũ decus Ambrosium conuenit, cui filium commendat obsecrãs resecransque, vt in obtinendâ eius ad saniorem mentem reditione, suas miscere

S. Ambr. Monica confirmat. preces non grauaretur; cui ille nullum molestandi sui vrgendique modum ponenti tandem respondit: *Vade amica, esto secura, & à precibus pro filio fundendis ne desine: neque enim*

deerit

deerit his precibus Deus, quin illuminet illum, in quo libro legenda sit illi sua salus. Quod veritati cõforme fecit effectus. Augustino enim die quodã sub arbore strato talis vox à nullo visibili auctore prodiens incenta est: *Tolle lege, tolle lege.* Quâ ille excitus, apprehenso, qui secùs iacebat, Apostolico codice legit: *Induimini Dominum Iesum Christum.* Et ecce, protinus quasi radio tranquillitatis cordi eius iniecto, omnis ambiguitatis errantięq; caligo exseminatò dispuncta cessit. Mater autẽ ad Diuum Ambrosiũ regressa, luctuq; ac lacrimis tabens, quòd filium ab ingenio necdum desciuisse conspiceret, audijt ex illo (quippe quam nimiam curæ considerabat) hæc verba: *Vade secura mulier: impoßibile enim est vt filius tantarum lacrimarum pereat.* Quo sermone mœror eius quasi spongiâ detersus est, omnis cura molestiaq; à corde auocata recessit; ac maternæ tandem obsecrationes, lacrimis ac suspirijs intritæ, publicis priuatisque magni Antistitis votis admistæ, optatam filij conuersionem Deo extorsêre.

Augustinus in audit angelicã vocem super instanti suâ salute.

Monica dolori rursum medetur vir quidam bonus.

His nugis intricati (ait ipse Augustinus) *tu misertus es mei Domine Deus meus, & misisti manum tuam ex alto, & de hac profunda caligine eruisti animam meam, cùm pro me fleret ad te mater mea fidelis tua, amplius quàm*

August. l. 3. c. 11.

quàm flent matres corporea funera. Videbat enim illa mortem meam ex fide & spiritu quem ex te habebat, & quia ingenio pollebat, bene præiudicabat meam ruinam. Sed exaudisti eam Domine, nec despexisti lacrymas eius cùm profluẽtes rigarent terram sub oculis eius, in omni loco orationis eius, & exaudisti. Et hinc tributa viro sanctissimo, *filij lacrymarum*, inolita nomenclatio. Nam sicuti D. Monica vsitatâ illum carnis olim partione, sic eundem alterâ sed spirituali genuit, per efferuentes purà lacrimas, quibus vbertim coram Deo eriuatis filij emendationem elicere contendebat. Salutiferi fontis vndâ tinctus est à B. Ambrosio, ibique concinnatum & alternis concentum est mellitum illud melos: *Te Deum laudamus*. Quod sanè D. Monicam tantâ voluptate perfudit, vt quasi in patriæ, affinium, sui-imò-ipsius abrepta obliuium, mundi fastidiosa, & terrenorum omnium spernax, grandes Deo grates intonuerit, dicens cum Psalmicine: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ.* Augustino igitur ad fidei orbitam retracto, cum filio mater expletâ gratiarum actione Mediolano Romam concesśêre, vbi aliquantam nectentes moram in decumani beneficij hostimentum, auitæ pietatis sacraria

S. Monica pro filij conuersione superis gratatur.

visi-

visitarunt. Quo munere perfuncti illinc, in Africam cogitantes, ad Ostia Tiberina sunt allapsi, ibidemque aliquamdiu flustrum præstolati, quò commodiùs fines patrios inuolarent. Verùm appetente decretorio die quo perfidelem ad se famulam suam Monicam Deus excieret, exantlatas lacrimas, passos angores, enixosque corrigendo filio labores apud superos remuneraretur, febrire cœpit, & tantâ mundi nauseâ laborare, vt aliâ de re cum filio verba non faceret, quàm de Paradisi gloriâ, *Fili,* inquiens, *quantum ad me attinet, nullâ re iam delector in hac vita. Quid hîc faciam, aut cur hîc sim nescio, iam consumpta spe huius sæculi. Vnum erat, propter quod in hac vita aliquantulum immorari cupiebam, vt te Christianum Catholicum viderem priusquam morerer. Cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, vt te etiam contemptâ felicitate terrenâ seruum eius videam.* *S. Monica paulò ante mortem nihil nisi cælestia tractat.*

Conflictans igitur cum hac torridâ febri, & fatalem horam magis magisque impendere præsagiens, nihil pensi habens quâ pompâ corpori suo parentaretur, animæ curacior, illam enixè accurateq; filio commendatã, & precum sacrificiorumque eius participem fieri percupiuit: & ad hũc quidem modum gloriosa, illa anima, carneis exuuiis nudata ad optatas superum sedes *S. Monica in mortis limine se Missæ sacrificio commendat.*

in op-

in oppido Ostiensi anno ab orbe redempto 391. ætatis suæ 56. tranauit. Requieuit autẽ hoc loci sacrum depositum mille & viginti annis, ad tempora nempe Martini V. Pontificis Max. qui illud Romam transferri, & in Fratrũ Eremitarum D. Augustini legitimorum Magni Patris filiorum, magnæque Matris nepotum basilicâ recondi mandauit. Prout liquidum fit ex eius Bullâ, quæ rei gestæ historiam vberiùs dilucidat.

CAPVT XIV.

Virtus, pietas, magnitudo eximij Patris nostri Augustini primi Sodalitatis nostræ Patroni.

QVi editus in lucem est Tagastæ in Africa, haud longè à Carthagine, anno redemptoris 355. Idibus Nouemb. (semet teste) Patricio patre, matre Monicâ. In puero statim acris, viuacis, excitatique animi dotes exsplenduêre, & in bonarum artium stadio commilitones infinitis passibus præcucurrit. Ephebiam ingressus, & Christianæ religionis exors Mediolanum venit, vbi impigrum se præstitit S. Ambrosij Protomystæ auditorem; cuius viri operâ singulari, & vnà indefessis S. Simpliciani Monachi hor-

Libro de beata vita.

hortamentis, fidei Christianæ ſuccenſus ardore, vitalibus vndis lotus ab Ambroſio fuit, anno ætatis plus minus trigeſimo. Paulò poſt, genus vitæ religioſum capeſſere geſtiens, eiuſdem Antiſtitis auctoritate, atro Monachi habitu, concolore cucullo, loreâ zonâ, à S. Simpliciano præſente ſubminiſtratis, conueſtitus fuit; ipſomet Ambroſio, ſermone à ſe de S. Auguſtini baptiſmate ſic ſcribente: *Nouum Chriſtianum nouis veſtimentis induimus, cucullo nigro, cingulum ex corio nos ipſi præcinximus.* Idque anno 388. III. Non. Maias. quo die etiamnum annua Conuerſionis huius memoria celebratur.

S. Aug. poſt baptiſmum à S. Ambroſio furuo cucullo induitur, corrigiâ pelliceâ cingitur D. Amb. ſerm. 92. de baptiſ. S. Aug. ſub fine.

Porrò quod attinet ad hunc S. Ambroſij ſermonem; eius auctoritatem Illuſtriſſimus, Doctiſſimuſq; Baronius eleuat: & quatuor ſudat argumentis conuincere, non eſſe genuinum Ambroſij, ſed aliûs cuiuſpiam impoſtoris, ac ſuppoſtoris fœtum. Depromit autem argumentorum primum ex eo, quod auctor hîc nominet S. Auguſtinũ Carthaginenſẽ. *Auguſtinus* (inquit) *Afer Carthagineſis Philoſophus acutiſſimus, &c.* Quod diſſidere videtur cũ Poſſidon. qui facit illũ Afrũ Tagaſtẽſi in vrbe partum. A me quidẽ abſit ea temeritas, vt viri dignitate doctrinaque ampliſſimi, ſeculi noſtri Solis ac Phœnicis

Baron. tom. 4. Annal. anno Chriſti 388 4. argum. refellit ſerm. Ambr. de baptiſ. Auguſt.

carptor haberi cupiam, citra tamen honoris eius præiudicium, aut vel leuem à doctrinæ S.M.E. (cuius sacris pedibus limanda, censenda, expendendaque substerno cuncta, quæ, donec vixero, aut linguâ aut calamo vulgaturus sum) abitionem, tria verba ex obligationis, & in Ordinem cui nomen dedi Eremiticum affectûs debito: proque habitûs, quem defero, reuerentiâ, sum prolaturus. Vt igitur ad primum hîc respondeam; fateor libens, Sanctum Ambrosium non esse solum, qui D. Augustinũ Carthaginensem nuncupet, sed ab illo plures alios, in quorum album venit veterrimus scriptor Sigibertus: *Tempore* (inquit) *Theodosij senioris, Augustinus vir acutissimus nobilibus Carthaginensibus ortus natalibus venit Romam, &c.* Quod nec fundamento destituitur. Etenim licet *Tagastæ* vitam, & non *Carthagine* sit orsus, potuit tamen *Carthaginensis* dici, quòd *Carthago* matrix esset non modò *Tagastæ*, sed & totius Africæ (annotat Possidonius Episcopus, in fronte vitæ S. P. N. Augustini.) quod reuerà perinde est, ac si dixeris: *Leodienses, Mediolanenses, Neapolitanos*, alios qui in pagis, suburbiis aut villis *Leodio*, *Mediolano*, aut *Neapoli* vrbibus Metropolitanis subijcibus, & quasi earum appendiculis, in auras venêre. Eiusmodi lo-

Sigibert. epist. ad Macedõ.

Baronij argumẽtum refutatũ.

locutio nulli non gentium in ore est, vsque-eò, vt hinc ne vmbra quidem dictionis eluceat impropriæ. Et si hâc incitatus ratione Illustr. *Baronius* excuncare velit præfatam Homiliam, quidni pariter id faciat Apostolorum Actis, sustineatque, Lucam auctorem esse suppositjtium, qui dilucidis verbis S. Paulum, Romanum vocitat; quem constat gente Iudæum esse, & natales suos *Tarso Ciliciæ* ciuitati acceptos ferre, ipsomet hoc apertè coram fratribus suis publicante & aiente: *Ego sum vir Iudæus natus Tarso Ciliciæ.* *Act. 23.* Quæ ergo pax huic differentiæ, quâ Paulus alibi se Iudæum, alibi Romanum dicit? *Iudæum* certè, quia Iudaicâ domo, ciuitate Iudæis subditâ prosatum; *Romanum*, quòd id temporis, quo Romani toti terrarum orbi imperitabant, Tarsense oppidum, Romæ quasi appendix, cum eâdem iuris municipalis particeps esset, & Tarsenses gauderent eâdem quâ Quirites immunitate, priuilegijs, libertate; retentâ sibi tamen Iudæis legibus viuendi conditione, & prærogatiua. *Tarsus Romæ appẽdix.* Æquali igitur modo, quamuis Augustino natiuitas contigerit *Tagaste*, *Carthaginensis* tamen dici potuit, quòd illa vrbs esset velut huic adiectitia; hæc autem Domina prioris, Africæque vniuersæ. Huic responso adijci potest; quòd parentibus sit genitus

 (prout

(prout etiam ſuprà allegato placet Sigiberto) Carthagine oriundis.

Secund. Baron. argum. refut.

Secundum Baronij argumentum elicit iſta ſermonis pars, quæ ait: S. Auguſtinum *ex Gentilium cultu* (verbis Baronij) *factum Chriſtianum*. Satis exactè ſermone iſto examinato; reperio, auctorem dicere: S. Auguſtinum ex homine Gentili verſum in Chriſtianum, iuxta Baronij citationem. Aduerti quidem illum principiò dicentem, *quòd cõtempto Gentilium cultu ad veram Chriſtianam religionem diuino nutu tandem peruenerit*: ac deniq; cis mediũ ſubijcit, *illũ dimidiam ferè vitæ ſuæ partem intra Gentilium mores ac vanas diſciplinas mundanoſq; errores conſumpſiſſe*: Et paulò rurſum vlteriùs ſub finem, inquit illum: *Vt à cæteris Gentilium opinionibus & erroribus remoueretur totum cognitioni animum intendiſſe.* Verùm quàm longiſſimè inter ſe diſcrepant, vixiſſe aliquem inter Gentilium mores, quos poſteà aſpernetur, & à quibus deſciſcat quantum valet vt Chriſtianis legibus imbuatur; aſpernataque Gentilium, Chriſtianæ militiæ tranſcribatur. Non enim quit ex Gentili Chriſtianus quis effici, qui nunquam verè Gentilis aut Idololatra extiterit; ſed aliquantulum vixerit inter dicta Gentilium deliramen-

menta, eaque leuiter delibarit, aut quantillum non malæ opinionis ſuxerit, quoad ipſum agendi modum: ſed omnia poſtmodum abhorruerit, abdicauerit, eierauerit, vt ſe vnius Chriſtianæ fidei amplexibus illigaret; abſque eo, quòd ſolidè, ſarteque aut væſanis Gentium ritibus, aut deteſtabili Idolorum cultu temeratus fuerit. Talis fuit Auguſtinus. Non diffitemur, verſatum illum diu fuiſſe inter Gentilium, quales erant Academici, documenta. Non abnuimus, illi ad tempus, (in conuerſionis potiſſimùm limine) ſapuiſſe hanc hominum ſectam (quod in Confeſſionibus non reliquit inconfeſſum) quos tribus libris, animo ſuo tranquillando, & tam ex illorum quàm Manichæorum pedicis exauſpicando, ad Chriſtianiſmum expeditiùs euolaret, eſt inſectatus. Non negamus, quin poſtea fuerit execratus peſtifera Gentilis Academiæ conſulta, & ab ijs Dei gratiâ fotus, elongatus exceſſerit, vt in gremium ſanctæ Matris Eccleſiæ, quæ ſola eſt veritatis columna irreperet. Sed vt hinc inferretur cum Baronio, Sanctum Auguſtinum examuſſim fuiſſe Gentilem, & ſimulachrorum culturâ infamem; fruſtrà eſt: nec huic ſententiæ accedemus

Lib. 5. confeſſ. c. 13.

vnquam: nec illa porrò mens Auctoris ædepol; summa autem, quæ inde trahi possit, eò redit, vt sentiat, Augustinum olim cum Ethnicis nonnullum habuisse commercium, & cum tempore, placita ipsorum nonnihil degustando, ijs aliquanto diutiùs in conspectu conuersionis, fuisse immoratum: quorum argumentis tanto tunc opere moueretur (videre est locis suprà citatis) vt vbi iam se mæandris Manichæis hinc extricasset, senserit se illinc Academicis intricatum; vnde quò se commodiùs euolueret ad Euangelij lumen exardescens, trinis in eos libris, ad exemplum D. Ambrosij inuectus est. Et hac quidem viâ abominatus detestatusque est erroneas quasque disciplinas, quarum gustu fuerat vnquam delibutus, & ad Catholica dogmata remis enauit velisque. Quòd si hoc sensu Illustriss. Baron. concludat, S. Augustinum Gentilẽ extitisse, quòd ipsum odor quidam morum illorum afflauerit: conuenimus ambo: nec est idcirco auctor excuriandus, quippe qui de mendacio nihil sumpserit. Porrò, si quis sit fortean, quem hæc responsio non exsatiet, adiungo; quod, Auctore illo narrante, D. Augustinum plurimum temporis inter Gentilium errores decoxisse, errorum voce posse hæresim Manichæam, non aliunde

Init. l. 1. retract.

quàm

quàm ex paganis erroribus, ab impijssimo Manete consarcinatam intelligi. Consule, quid inter ceteros in historiam retulerit Nicephorus: inuenturus es primò, quod, quâ impietate Gentiles Solem Lunamq; adorabant, eâdem & Manetis asseclæ. Secundò, vt Ethnicus Empedocles duo omnium rerum principia ex diametro inuicem contraria constituebat: sic & Manes duo facit principia, alterum bonum, & omnis boni fabrum, malum alterum, & omnis mali opificem. Tertiò, quam Gentilium non pauci crediderunt metempsychosin, arbitrati animas è corporibus cedentes, immigrare in alia denuò animanda; credidit & Manes; docuitque, easdem animas, è corporibus hactenus habitatis alia se rursus in membra, volucrum putà, equorum, canum, aut id genus aëriarum, terrestrium, aquaticarúmue animantium illatebrare. Quartò, quam bona Gentiliũ pars respuit corporum anastasin, eandem Manes vt commentitiam, fabulosam, & deridiculam explodit. Denique, sicut Gentiles varijs, imò quamplurimis locis non constringunt se intra fines legitimi connubij, sed vagis & indiscretis adhinniunt cupiditatibus; ita & Manes non alio titulo dignabatur Matrimonium Sacramentum, quàm legis cuius-

Niceph. Callist. l. 6 hist. Ecclesiast. c. 31.

August. de moribus Eccles. Cathol. l. 1. c. 35. dam constitutionisque Diabolicæ: à quâ opinione stantes, brutum in modum prolubiis carnalibus confusè, indistinctèque cōspurcabantur. Quæ cū ita sint, quis vetet (ad libellam & perpendiculum loquendo) dicere: S. P. Augustinū multò maximā vitæ scenā intra mores Ethnicos transegisse, quandoquidē solidū nouenniū fuerit perfidi Manetis eiusq; complicum assectator.

Eodem lib. c. 18. Stabilit Illustr. Baronius argumentum tertium in crepidine discordiæ cuiuspiam, quæ intercedere videtur inter Homiliæ illius commentatorem, & S. Augustinū. Meminit enim in eâ D. Ambrosius, D. Augustinum secum de aliquāmultis quæstionibus crebrò & prolixè cis conuersionē suam *Lib. 6. confess. c. 3.* disseruisse, cum tamen ipse Augustinus cōqueratur, se nunquam offendisse Archiepiscopum à negotijs vacuū, aut à frequentiâ interpellantiū immunē, quocum de animi sui scrupulis sermocinari licuisset. Assentior quidem, D. Augustino nunquam obtigisse copiam cū Ambrosio super animi sui pondere disceptandi, nisi perquam ægrè, ac infrequenter, ob perexiguas illius à restibilibus, ouiumq; studiosis occupationibus, inducias; sed mordicùs tueri, illum planè nunquā ad commerciū colloquij dissertationisq; peruenisse, totus hoc mihi mundus

non

nõ ibit persuasum. Neque enim tam leuiter tinctus his erroribus erat Augustinus, vt tã citò herbam porrigeret ei, qui se illi destinatò opposuisset, ipsiusq; formandi spartã suscepisset, citra luctã, concertationemque operosiorẽ. Hoc extra dubij aleã esse, vt credã, locus quidam sexto Confessionis mihi suggerit; vbi dicitur: Monicam dilexisse S. Ambrosiũ, sicut Angelum Dei, ob procuratã ab illo filij salutem. Si verò S. Ambrosius nunquã illũ in societatẽ sermonis receperit, quo sodes, pacto, professus est excuratã illã quã in eius salutè tam cõquisitè peruestigandâ, defixit solertiã? Si reponatur; factitasse hoc illum in concionibus suis quas publicitùs indies detonabat, ad quas sitientes indeses Augustinus, indesinenter aures adferebat; responsito, quòd sic herculè, nõ plus sudoris exantlârit saluti Augustinianę, quàm aliorũ promiscuè confluentiũ: neq; solicitioris affectûs specimẽ erga Augustinũ præbuerit, quàm erga quemuis è turba cæterorũ. Verène ergò verum sit, Ambrosiũ qui tanto animarum zelo coquebatur, animã S. Augustini, viri famâ inauditarũ hactenus doctrinæ ingenijque dotiũ apud Insubres spectatissimi, non pluris habuisse? Secundò; dicit Augustinus Ambrosiũ solùisse neminem à limine suo abarcere, mòrisq; *Lib. 6. Confess. c. 3.*

fuiſſe, ei prænuntiari, quis eſſet, qui illum conuentum expeteret; & inducar, vt credam, vnico Auguſtino ſemper inacceſſum fuiſſe, ſemper oppeſſulatum? Tertiò, dicit nonnuſquam, quòd, vbi Româ primò veniſſet Mediolanum profeſſurus Rhetoricã, S. Ambroſius illum affectu planè paterno complexus fuerit, ſummaque cum lętitiâ aduentantem exceperit; quinimò, tantum illi humanitatis admenſus fuerit, vt exinde redamare eundem occœperit: *Suſcepit me,* (inquit) *paternè ille homo Dei, & peregrinationẽ meam ſatis Epiſcopaliter dilexit, &c. Et eum amare cœpi tanquam hominẽ benignum in me.* Si tam amicè ac prorſus patriè tunc illum fouerit; cur non idipſum feciſſet potiùs, viſo, illum & concionibus ſuis affici, & in Catholicam religionem propendere? Quæ cauſſa, ſodes, ſuccendiſſet in Auguſtino tantum erga Ambroſium, hominem nempe, à quo tam cupidè benigneq; fuerat habitus, amorem: ſi nunquam illo propinquiùs fruiſcendi, nunquam de animæ ſuæ ſalute liberè cum illo conferendi poteſtas fuiſſet indulta? Cui bono igitur omnis illa S. Monicæ ſedulitas, & tam anxia inquies, quâ pro filij inſtructione Ambroſianas aures plangebat, ſi excluſiſſimus vſque fuit Auguſtinus? Nulla igitur ſubeſt ambigendi ratio, quin S. Au-

Lib. 5. confeſſ. c. 22.

S. Augustinus creberrimè cum D. Ambrosio disseruerit, sermonesque seuerit. Et licet videatur id inficiari loco per doctissimum Baronium in medium lato; intendit nihilominus dumtaxat innuere, nequiisse semper potiri opportunitate id faciundi pro suo voto: fieri etiam potuisse; quòd sanctus quidem Ambrosius satis illi superque temporis indulserit, ad suos cum illo nodos communicandum, ast hoc ipsum illi, quantum quantum fuerit, quantillum adeò visum fuerit, præ nimio informationis desiderio, nimiaque quam ex colloquio Ambrosiano carpebat voluptate. Atque hinc est, quòd non pernegat, vnquam sibi patuisse ad Archipræsulem accessum, cùm perspicuè fateatur alibi, se ad communionem consultationis admissum, vel tunc saltem, quando paucis cum illo agere, sibi decretum esset. *Nulla* (inquit) *dabatur copia sciscitandi quæ cupiebam de tam sancto oraculo tuo, pectore illius, nisi cùm breuiter esset audiendum.* Et alibi rursum, postquam pluribus exclamationibus se fatigasset: *Vbi quæretur, quando quæretur veritas? Non vacat Ambrosio, non vacat legere, &c.* Quibus subiungit: *Absit, ita sit, nō vacat.* Per quæ inclaret, vt dictum est, S. Augustinum insinuare solummodo, non fuisse sibi suppeditatam facultatem toties quoties

August. l. 6. confess. c. 3.

Lib. 6. confess. c. 11.

ties vellet ſalebras ſuas in illius ſinum effundendi, & totum Auguſtinum coram illo exuendi: etſi tamen hoc iam illi ſæpiuſculè ex animi ſententiâ ſucceſſiſſet.

4. *Baron. argum. refut.* Argumentorum poſtremum nititur iſto Auctoris dicto; quod baptiſmo luſtratum S. Auguſtinum: *Nouum* (ita inquit) *Chriſtianum nouis veſtimentis, cucullâ nigrâ induerit, cingulo ex corio præcinxerit, quod Simplicianus ingenti lætitiâ donauit.* Quod videbatur pugnare cum vetuſtâ Eccleſiæ conſuetudine, quæ ſacro fonte nouiter merſos veſtitûs candore perpoliebat. Hoc autem argumentum enode mihi eſt prorſus. Conceſſo namq; quòd Auguſtino cæleſti iam nunc lauacro expiato albicans inſtita recepto vſui conuenienter ſuperinducta fuerit; quid tamen obſtat, quin etiam tunc, vel paulo poſt mutatâ veſte, cucullum adſumpſerit, coriaceoq́; cingulo renes vinxerit? Porrò, quod vehemẽs mihi calcar ſubigit huius Ambroſianæ Homiliæ hyperaſpiſten agendi, eſt; quòd eius clarè meminerit ſanctorum Ordinis noſtri peculiare officium: imo in hoc inuenire ſit pũcta nõ pauca inſerta, quæ illi sũt exerta. Etenim Hymno qui à nobis, menſtruis Calendis non impeditis, ad Veſperas Commemorationis S. Auguſtini canitur, inſunt hæc verba:

Veſte

Veste nigra hic indutus
Præcinctus corrigiâ,
Vt Ioannes redimitus
Est zonâ pelliceâ.

Officia ord. ap-prob. & data Eremit. Augus. à sede Apost.

Item in eo qui laudibus Matutinis ser-uit, sic audis:

Baptizat hunc Ambrosius
Deum laudamus intonat,
Simplicianus Monachus
Habitum dat & cingulum.

Atqui; vero verius est, Officium hoc cum calculo & benedictione Sedis Apostolicæ perpetuo vsui ad patres nostros Eremitas Augustinianos, & ab illis ad nos permanasse. An & amplius quid aues? eadem Officia anno sæculi præsentis 1600. in Romanâ ipsâ vrbe auctoritate Pontificiâ cum ijsdem hymnis & versibus è prælo rursum prodiere; adiecto illis Clementis VIII. diplomate Romæ dato VII. Idus Maias: anno 1597. quo cautum vult, ne quis cuiusque sexûs Eremita alia ab illis officia vsurpet, in virtute S. Obedientiæ, sub pœnâ indignationis eius alijsque mulctis arbitrariis incurrendis. Quoniam ergò silenti quodam suffragio videtur hunc qui controuersiæ subiacet sermonem approbare,

Diuo-

Diuoq; Ambrosio adscribere Ecclesia, non video periculosioris rem aleæ esse, amplecti agnoscereq; illum pro legitimo D. Ambrosij partu, quàm cum Illustr. Baronio penitùs illum tanquam anonymi cuiusdam sycophantæ commentum expungere & exculcare. Verùm enimuerò præter Ambrosianam hanc in aliquoties memorato sermone auctoritatem, educere in arenam licet pluria nec inermia argumenta, quibus dilucidè demonstretur, S. P. N. Augustinum etiam habitu in conuersione nigruisse.

Primò quidem; quòd infantis Ecclesiæ Christiani (quorum viuendi amussi se attemperauit Augustinus) nigris ex more vestirentur, vt hâc quasi tesserâ distinguerentur ab Ethnicis, qui vulgò candidati procedebant. Videre hoc datur apud Metaphrastem, in cuius historiâ de martyrio sancti Indis, impijssimi *Gentiles aßistebant illi candidis & magnificis vestibus celebrantes festum sui interitûs, solus autem Indes atris indutus vestibus.* Et alibi de Syriæ Martyribus verba faciens, inquit, Honofrium niueo se pallio induisse, ne Christianus appareret. In Suetonio quoque, Augustus visâ quondam pro concione Romanorum pullatorum turbâ, indignabundus hunc habitum vestitumque inter-

Metaph. 28 Dec. Metaph. 5. Nou. Baron. tom. 2. annal. anno Christi 256.

ter-

terdixit, voluitque ne quis in theatrum deinceps nisi candidatus prodiret. Breuiter; hoc ipsum est, quod Illustr. Baronius suis inserit Annalibus: *Nigri coloris* (inquiens) *indumentum tessera quædam Christianæ Philosophiæ esse videbatur.* Quod id temporis obseruabant Christiani, vt omnino nihil illis esset commune cum Ethnicis: & hic vsus in Ecclesiâ ad D. Hieronymi vsque perstitit ætatem, quâ adhuc Christianorum plerique atrati incedebant, muto hoc stigmate loquentes se Nouatianos abominari, qui albati prodibant, & hinc se *Catharos*, hoc est, mundos iactabant & dici amabant. Vero igitur finitimum est; S. P. N. Augustinum, eâdem ratione motum, furui coloris indumentum adoptasse, & sibi adaptasse.

Ita ferè Baron. tom. 2. annal. anno Christi 256.

Secundò; quia paulò ante D. Augustini in melius versionem, S. Athanasius, perlustratis Ægyptijs anachoretis, circa Thebaidem, Alexandriam, cæteraque plagæ Orientalis confinia, immani numero degentibus; compulsus, ob infrænem ab Arianis, & horum instigatu, Orientalibus Cæsaribus, Iuliano cumprimis Apostatâ, motæ in illum persecutionis atrocitatem, relicto illo tractu in Occiduũ semigrare; iam Romam allapsus tanto ore Antonium, Pachomium, & paris metalli Patres, deprædicare, eorumque

tumq́ue viuendi methodum tantis laudibus euehere cœpit, ad terenda eadem vestigia omnes cohortando, vt neminem non vitæ religioniśque Eremiticæ subita cupido peruaderet. Cùm igitur hinc factum sit, vt innumeri homines, villis oppidiśque posthabitis, solitudinis amore capti, illicioque hortamentorum Athanasij capti, ad eremũ se receperint; & hac viâ, Eremitica monasticaq́ue vita in robustiorem gradum feruenter transire cœperit in Occidente; non putatur à veritate degenerare, S. Augustinum eodem spiritu citum, statim à salutifero fonte simul cum anachoresis aceseosque regulâ, eorundem Anachoretarum Ascetarumq́ue Orientalium vestem, atrum scilicet capitium, scorteumq; cingulum (vt Cassianus vult) complexum fuisse. Et quantumuis idem Cassianus, non satis edocenter aperiat, quem præ se tulerint colorem eorum induuiæ, atras tamen fuisse, non obscuro nutu significat. Quàm rem in epitaphio Marcellæ, & quadam ad eandem epistolâ; item ad Iouinianum vspiam tangit D. Hieronymus. Baronium si quis consulat; leget, sæcularium clericorum vestitum antiquitùs fuisse violaceum, in hunc diem adhuc retentum ab ijs, qui in Pontificis Max. familiam, nec non in ordinem

Hieron. epitaph. Marcell.

Lib. 1. Collat. patr. c. 2. 4. & 12.

Baron. tom. 4. an. 398.

dinem alumnorum S. R. E. Seminarij translati sunt: Monasticæ autem disciplinæ consecratos nigro iugiter vsos; quali hodieque Benedictini, qui paulò post S. Augustinum sunt exorti. Vt ergo tandem aliquando perueharnus hoc propositum ad vmbilicum, S. Augustinus lustrali per D. Ambrosium latice aspersus, cohabitauit vnum, & quod excedit, annum S. Simpliciano Monacho: contentâ cuius continentiqúe industriâ perpolitus, & Christianis mysterijs plenè persusus est. Ex Insubria demum, sociâ Matre, remeans in Africam, Hetruriamque transiens, ponè montem Pisanum moras traxit, offenso ibidem Eremitarum vagè per syluas diffusorum non exiguo grege. Qui conspectum Augustinum exultim curriculoque aduolantes, maximo charitatis indicio ab eo sunt excepti, eisque in vnum eundemque cœtum circumscriptis, regulam, & certum sub vnius Capitis arbitrium: sub infractæ perpetim castitudinis, & spontaneæ pauperiei signis, viuendi normam præscripsit: suoque concolori atque conformi vestiario, pullo nimirum capitis inuolucro, coriaceoque cinctu amixit.

Suprà igitur dicto loco, Pisanum prope

Locus vbi prima Ord. Eremit. S. Aug. iacta sũt fundamina. *D. Ant. 3. part. chronic. sub finẽ.*

montem Religio Eremitarum S. Augustini primordia, ortum & fundamentum cepit (S. Antonini etiam sententiâ) mense Octobri anni 390. Loco autem *Lupi cauia* nomen est, vbi etiam nunc exile quidem, sed non ignobile nostri Instituti constat Monasterium in montis quasi meditullio locatum; quod vt attingas, duabus vt minimum horis à montis pede illaborandum est. Mons hic castaneis quidem redundat, verùm cætera sterilis. Monasterij templo rupe excisa specus annectitur, primarium olim D.P.N. Augustini habitaculum; quod ex Cænobiarchæ & Cœnobitarum relatu locum visentes didicimus. Secus Conuentum è rigidâ caute lympidissimus erumpit fons, aquas adeò vndantes vt torrentem diceres, eiectans. Cæterùm magnus Patriarcha in hoc contubernio annum vnicum pari habitu eliquauit, sedulus interim in officio peruiam illis ad astra semitam pandendi, statusq; monachalis præcepta propinandi ac proponendi. Quo gnauiter peracto, accingit se ad reliquum præstituti in Africam itineris; peruentoque ad Tyberis ostia, suauissima parens fataliter illi (vt suprà fatum) subducitur. Inde verò cum nonnullis Religiosorũ ex Italia, Ordinis natali solo comitatus, Africam properatò inuadens

Testis est Franc. Petrarch lib. 2. de vitâ solitariâ tract. 3. c. 5.

S. Aug. restituit ord. Eremiticum in Africâ quem instituerat in Italiâ.

dens in deserta secessit, quæ pariter inco-
luêre *In habitu despecto* (Sigiberti verbis) *Epist. ad Maced.*
virtutum omnium eminentiâ celebres; ad-
eò, vt exin S.P.N. Augustini religio ad non
exiguum augmen consurrexerit. Eodem
temporis S. Valerius Hipponensium Præ- *Aug initiatur Presbyt.*
sul illum etsi validè reluctantem sacerdo-
tio inaugurat; quæ occasio illi fuit plures in
eâdem Africâ familias concinnandi, cœ-
nobiaq; sæpenumerò memoratis Religio-
sis exstruendi; quibuscum è communi pe-
nu victitans, perpetuis illos (vt antè Fra- *Serm. 5. ad Fr. in Erem.*
tres Italos) stimulis atque hortatibus ad
monasticæ directionis amorem, Apostoli-
cique feruoris imitationem incitauit, in-
cendit.

Verùm, quandoquidem Manichæa hæ-
resis, quæ iuuentutem eius venenarat, Ec- *Possid. in vita B. August.*
clesiæ serenitatem diriter oblimabat, S. Au-
gustinus athleticum adorsus est cum hac
hydra pugillatum; adeò, vt infortunatum
Hæresiarcham Fortunatum in omnium o-
culis manifestâ argumentorum velitatione
conuicerit, ac deuicerit. Quæ res extimula- *S. Aug. oppugnat expugnatque Fortunatũ.*
uit Innocentium primum, perceptâ, quæ
iam eualuerat, famâ excelsitatis doctrinæ
pietatisque Fratrum Eremitarum, vt hunc
Ordinem regulamque ab Augustino dige-
stam, suæ auctoritatis accessione sanciret

Ordo Eremit. S. Aug. confirmatur ab Apoſt. ſede.

ſigillaretq́;, anno 406. vt palàm fit è Chronicis Auguſtinianis ſuprà dictis. His iſdem actus rationibus S. Valerius illum ſibi in optionem adſumpſit, cuius humeris partem oneris Epiſcopalis inædificaret, quod illi poſtmodum ex toto ceſſit, cùm in eadem dignitate anno 394. æui ſui 36. volens nolens ſucceſſit. Quâ in ſpeculâ ſiſtens, Clerum etiam ad ſeuerioris diſciplinæ captum, regulæq́ue Fratribus Eremitis pridem propoſitæ obſeruatum, (ſic ipſi de ſe, Poſſidonio de ipſo ſcriptitantibus credendum) adegit.

S. Aug. velit nolit inſignitur infulâ Hipponenſi.

Ser. 5. ad Fratr. in Erem.

Rara D. Aug. in omnibus actionib modeſtia.

Cæterùm; nihil Auguſtino fuit dimiſſiùs, nihil continentius. Lectulus eius ac veſtitus moderatus: vulgaris ac parabilis menſa, ſacrâ ſemper vel lectione vel diſputatione condîta. Tantâ benignitate efferuebat in depauperatos, vt cùm alia facultas falleret, ſacrorum inſtrumenta confringere nõ vereretur, vt illorum inediæ fulcimenta ſuffigerentur. Quinimo non rarenter ex illo audiebatur; Eccleſiæ bona dotem eſſe, hærediumq́ue eorum, quorum res anguſta domi eſt.

Benignitas Aug. in pauperinos.

S. Aug. nũquã à ſcriptione, diſputatione aut concione contra hæreſes vacabat.

A Dei verbi præconio, nunquam niſi grauiter aegrens, ſuperſedit. Nullas cum Hæreſum architectis paciſcens inducias, eos & ore, & calamo ita exagitauit, vt Afri-

cam

cam â Manetis, Donati, Pelagij, omnium denique infernatium colubrorum viru (quod explanatiùs edicet caput proximũ) deon erâtit.

CAPVT XV.

Doctrina S. P. N. Augustini, scientiaq; incomparabiles.

HOc viri miraculum, sublimis hic Theologorum apex & columen, tam humanarũ, quàm diuinarum artiũ ac disciplinarum encyclopediâ instructissimus fuit, earum tamen comprimis, & modo quodam peculiari, quæ mysteriorum religionis nostræ Christianæ, Catholicæ, & Apostolicæ adyta perpenetrabant. *Doctrina cui nil par est, August.*

D. Hieronymum eminens hæc scientia (quam certo iudicio ponderatam, suis pretijs æstimabat) vsque eò attonuit, vt in eius gratulationem his alibi verbis erumpat: *Macte virtute in orbe celebraris: Catholici te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur atque suspiciunt: & quòd signum maioris gloriæ est, omnes hæretici detestantur.* Et rursus alibi. *Mihi autem decretum est* (sunt ipsissima D.Hieron. verba) *te amare, suspi-* *Tom. 2. operum Hieron. sub finẽ.* *Ep. 30. inter ep. D. Aug.*

 cere,

cere, colere, mirari, tuaq; dicta quaſi mea defendere. Quid minus S. Paulinus? *O vere ſal terræ* (inquit) *quo præcordia noſtra, ne poßint ſæculi vaneſcere errore, condiuntur! O Eccleſiæ lucerna, quæ latè Catholicis vrbibus de ſeptiformi lychno paſtum oleo lætitiæ lumen effundens, denſas licet Hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis à confuſione tenebrarum ſplendore clarifici ſermonis enubilas.*

Sanctus hic Pater ſacrarum litterarum explanationi, hæreſeon refutationi, arcaniorum fidei noſtræ myſteriorum enucleationi tantâ contentione inſudabat, vt perſæpè quaſi à mente relictus, & exſenſus obrigeret. Ad quod propoſitum facit, quod in eius vitâ P. Alphonſus Oroſco publicauit. Mulier, inquit, quædam impendiò afflicta domum eius cùm deueniſſet, mœrentis animi pondus in eius ſinum depoſitura, remedij viciſſim ab illo reportandi conferens confidentiam: cumq; non vno ictu muſæi fores pepuliſſet, ſupplicans vt ad ſua verba aures adijcere dignaretur, Auguſtinus autem, qui eiuſcemodi ærumnoſis omnibus aliàs præſtò ſemper aderat, illi ne nutu quidem reſponderet, ſenſit vnguem in vlcere miſella, & quod ad commercium loquelæ non perueniſſet, mœſtior domum repedauit. Aſt vbi poſtero die regreſſa

Alphonſ. Oroſco chron. Ord. in vita S. Auguſt.

eum

eum rei diuinæ operantem comperiſſet, mox ab eleuato diuiniſſimo Chriſti corpore, hanc ad ſe vocem deferri percepit: *Mulier, mulier, famulus meus Auguſtinus, id momenti quo tu eum heri tuarum rerum causâ interpellare conſulereq; geſtiebas, in myſteriorum meorum contemplationem auulſus fuit, ideoq; te illum affante peregrinabatur animo, nec ad rogata tua ſolum reſpondit, ſed ne adeſſe te quidem ſenſit: verumtamen tutò nunc eum adi, omnes quæ te coquunt moleſtias exempturum.* Cui mulier obſequens oraculo, confidenter illum acceſſit, & ambitum conſilium ex animi ſententiâ recepit.

Diſcipulus eius Poſſidonius ait, illum tam diſertè, copiosè, numeroſeque concionari ſolitum, vt quamplurimi eò ſcribas miſſitarent, qui clariſſimos eius rariſſimoſque conceptus calamis exciperent.

Victor Vticæ Epiſcopus, euigilaſſe illum ante Hipponis obſidium libros 232. Enarrationibus tamen in Pſalterium, & Euangelia, & quos ad populum aſſiduos habuit, Sermonibus in hunc ſyllabum non venientibus. *Lib. de perſecut. VVādal.*

B. Iordanus mille trecenta ei attribuit volumina, minoribus eius opuſculis ab hac ratione ſecluſis. *Iord ſer. de tranſl. P. Aug.*

Poſſidonius iterum lucubrationum eius

Possid. in vitâ S. Aug. *Tanta scripsit Aug. vt arduum sit ea omnia euoluere.* tam offerta (vt sic loquar) plaustra producit in medium, vt librorum nullus tam auidus inueniri queat helluo, tam studio immersus philomusus qui eas pellegendo absoluat.

Isidorus Hispalensis Episcopus l. 2. etym. c. 8 Isidorus verò adfert; Originem tam prodigiosè prodigum scriptionis fuisse, vt Hieronymus fassum eat; tria se voluminũ eius millia euoluisse; libros tamen, quibus Augustinus calamum exercuit, hanc summam excedere. Inuulgauit enim tam multifarios Tractatus, vt eos nemo & nocturnâ & diurnâ manu versans obseruatè queat percurrere. Et hinc illa tam splendida epitheta, quæ ad aliquatenus exprimendam illius excellentiam in illum congeruntur. *Magnifica D. August. attributa epitheta.* Sunt namq; qui nuncupant eũ κατ' ἐξοχὴν, *Ecclesiæ Doctorem*, vt qui eruditissimis lucubrationibus plus vnus videatur illustrasse Ecclesiam, quàm Doctorum reliqui. *Hilar. epist. ad Amat. Diac.* Non desunt, à quibus appelletur *Defensor fidei*. *Rupert. l. 7. de oper. Spir. S. c. 19.* Rupertus ait illum esse columnam & firmamentum veritatis, nubem in quâ diuina sapientia solium constituit suũ. Nonnullis est *Lux mundi*; eo quod omnia quæ rectè alij atq; eruditè de sacris litteris conscripsere, quasi deprompserint ex pharetrâ Augustini.

Mellifluus Abbas vocitat illum *Malleum*

Hære-

Hæreticorum; quòd præter irrequieta cũ Manicheis, Pelagianis, Donatistis, alijs commissa certamina, posteris reliquerit tanti roboris ac soliditatis commentarios, vt peræquè ac mallei ahena hæreticorum colla perfringendi vim habeãt quàm maximam. Huius non nesciens quinta Synodus œcumenica maturè statuit, omnibus eius de verâ fide & hæresum damnatione placitis inhærere atque subscribere. *Sequimur* (inquit) *per omnia Augustinum, & suscipimus omnia, quæ de rectâ fide, & condemnatione hæreticorum exposuerit.* Quinta Florentina nuncupat eum: *Illustrißimum Latinorum Doctorem.*

Magnus ille Gregorius, sua aliorumque Doctorum scripta, præ D. Augustini furfurum habet loco. S. Remigius Auxerranus Episcopus ait, S. Augustinum reliquos Doctorum tanto antestare, quanto Sol quidquid reliquum planetarum est. *D. Greg. in regist. l. 8. epist. 37. ad Pamph.* *Cõment. in 2. ep. ad Cor.*

D. Prosper (B. Iordani relatione) sanctum Augustinum alterum Noë facit, qui per exuperantissimam doctrinam, quasi è ruderibus resuscitauit, pessum euntem, saltem in Africâ, mundum: cui in ordinem redigendo tantum dedit operæ, vt illic *Reformator Africæ* audire meruerit. *B. Iord. serm. 10. de S. August.*

Quam ad rem facit, quod idem auctor enarrat, Religiosum quempiã, D. Augustini *Idẽ auctor ser. 6. de S. August.*

 præ

præ ceteris obſeruantiſſimum,in Vigilia ſolemnitatis eius Sanctũ illum conſpicuum habuiſſe nubi inſidentem, Pontificali purpurâ nitentem, oculis vtrimque ſolares radios,quibus totam Eccleſiam colluſtrabat, eiaculantibus.

Alphonſ. Oroſco chron. Ord. in vita B. P. Aug.

Claraualle clarum decus Bernardus quadam nocte cùm inter horas, in vno Nocturnorum recitaret anagnoſtes tractatum (vt ſæpe fit) è libris Auguſtini deſumptum, à ſenſu nonnihil auocatus conſpexit multâ grauitate ac fulgore ſpectabilem virum, cuius ab ore vaſtus effluebat riuus, qui irriguis vniuerſam Eccleſiam vndis irrorabat. Sibi ergo denuò redditus coniecit, ſignari magnum Eccleſiæ Doctorem Auguſtinũ, qui eandem doctrinæ ſuæ ſucco perſperſit.

P. Antõ. Azeued. l. 3. catech. myſt. fid. c. 5. & 6.

Factum fuerat multo antè conſimile portentum. Recenſet enim Antonij Azeuedi Catechiſmus; quòd eâ die quæ D. Auguſtinum è caducâ vmbratilique ad ſolidam veramque vitam auexit,cuidam in deſertis Eremitæ ſecundùm quietem viſus ſit mortalis quiſpiam, auguſtâ ſpecie, & Epiſcopali trabeâ in pellucidâ nube rutilans,& quaſi thronum quendam implens:cuius oculi fulgentiſſimam Solis rotam multis partibus præcellebant, toti autem Eccleſiæ claritudinem ingerebant: admixtâ interim fra-

fragrantiâ, cui nulli ſuffitus odoramentáue conferri queant. Portenti autem huius rudi reuelatum eſt, fuiſſe D Auguſtinum, qui illo die animam efflauiſſet, cuius eruditionis, & ſublimium lucubrationum face, errorum nubila caligineſque ab Eccleſia diſpellendæ ſint, quò ſacroſanctæ fidei noſtræ myſteria, perſpicuâ luce ab illo donata, innoteſcant & inclareſcant.

Pius ſecundus contemplatione remandens, quanto eruditionis iubare perfudiſſet Eccleſiam Auguſtinus, panxit in illum hos inelaboratos quidem, ſed non inhonoros verſus:

Barbaricæ gentis decus AVGVSTINE perenne,
Horrida quem nobis Africa terra tulit:
Qui ſcripturarum profers arcana ſacrarum,
Eloquij reſerans abdita cuncta tuis:
Doctior, ingenuâq; omni cultiſſimus arte,
Et ſtudio præſtans, ingenioq; nitens:
Quem nihil obſcurum latuit, ſed & omnia florent,
Atq; humana ſimul dogmata, & alma patent,
Cuius & inſtruimur doctrinis atque mouemur
Exemplis; probitas cuius in orbe micat.
Millia librorum per te, Pater alme, leguntur
Edita, quæ promunt quidquid vbiq; latet.
Sis cunctis fautor pius, ô ſanctiſſime Præſul,
Atque Deo ſummas offer ad alta preces.

Non ſat Deo fuit, permiſiſſe tam magnifica in virum tantum epitheta è famulorum ſuorum labijs coaceruari, niſi ſuummet quoque elogium in cumulum honoris adijceret. Nam eiuſdem auctoris fide, Saluator illi ſe quâdam vice viſibili ſpecie conſpicandum, & familiariter contingendum præbuit, ſic affatus: *Magne Augustine, filium Dei in carne hodie meruiſti videre.*

Iord. ſer. 10. de S. Auguſt.

Didicimus ex B. Iordano, religioſum quendam D. Auguſtini perſtudioſiſſimum, per nocturnam ſpeciem cognouiſſe, S. Auguſtinum etſi cælo nunc receptum, ab Eccleſiæ tamen propugnatione non ſuperſedere. Bonus ille Monachus ſelegerat ſibi deſignatum aliquot cæli ciuium catalogum, quorum patrocinio ſe ſuaque commendabat; quibus tamen omnibus præferebat Auguſtinũ. Hos Sanctos ſtatis quotidie precibus percolebat, certum ſibi præſidium, hoc illorum cultu, vltimo fati die promittens. Cùm igitur tandem ſontica illum ægritudo ad extremam lineam pertraxiſſet, & in fatali conflictu poſiti anima iam iam à corpore diuortium meditaretur, omnes à ſe hactenus percultos ſanctos, quà poterat aduocabat, qui coram illo iam à mente relicto comparuêre, dem-

pto

pto vnico Augustino; quo non viso, in summum ille mœrorem (aberat enim potissima eius spes) & vberrimas lachrymas impulsus est; sed has Angelus quamprimum adstans hac spongiâ tersit: *Segrega metum, Amice, persanaberis: Patronus ille tuus cuius tanto flagras desiderio, inter viuos quondam morans, in verbi Dei explanatione totus erat, nunc autem inter cælites pari opera distringitur. Hanc habe absentiæ eius causam.* Æger ergò ad se subitò, & ad plenam sanitatem est reuersus.

Confirmari hoc ipsum potest ostento Francisci Petrarchæ (floruit circa annũ restaurati sæculi millesimum trecentesimũ) qui de semet memoriæ insculpsit, quòd in quadam solitudine anxio sibi, & perspectè scire desideranti, qualiter in præsentis vitæ palæstram ingressus, qualiter egressurus esset: Nympha quædam incomparabili claritate, formaque prædita apparuerit, non quidem aut sopore, aut ægrimoniâ possesso, sed peruigili & persano sensu constanti, quam ille diuinabat esse *Veritatem.* Quæ insusurrabat illi, se errantiæ illius misertam, è longinquo tempestiuas illi suppetias latũ, aduenisse: cumq; iam aliquamdiu vltrò citroq; verba factitassent, oculos circumferens, an hæc virgo, sine comite aut arbitro,

Francisc. Petrar. præfat. sui secreti siue 3. dialogus de contemptu mundi.

soli-

ſolitudinis eius auia penetraſſet: virum exactâ penè ætate, multâque maieſtate fulgidum: religioſo aſpectu, fronte modeſtâ, grauibus oculis, habitu ſacro, Romanâ facundiâ diſertum intuetur: vnde illi cognitu procliue erat, eſſe glorioſum Patrem Auguſtinũ. Cumq; ille tacitus ſecum interrogationis verba dictaret, iamque in imum oris marginem proceſſiſſent, cõfeſtim Virgo ad D. Auguſtinum verſa ſic fatur: *Chare mihi ex millibus Auguſtine, hunc tibi deuotum noſti, nec te latet, quàm periculosâ & longâ ægritudine detentus ſit, qui eò propinquior morti eſt, quomodo æger ipſe à proprij morbi cognitione remotior. Itaq; nunc vitæ huius ſemianimis conſulendum eſt; quod pietatis opus, melius quàm tu nullus hominum præſtare poteſt. Nam & iſte ſemper tui nominis amantiſsimus fuit. Habet autem hoc omnis doctrina: vt meritò faciliùs in auditoris animum ab amato præceptore transfundatur. Et niſi te præſens fortè felicitas miſeriarum tuarum faciat immemorem, multum tu dum corporeo carcere claudebaris, huic ſimilia pertuliſti. Quod cùm ita ſit, paſsionum expertarum curator optime: tametſi rerum omnium iucundiſsima ſit taciturna meditatio: ſilentium tamen iſtud vt ſacrâ & mihi ſingulariter acceptâ voce diſcutias, oro tentes, ſi quâ ope languores tam graues emollire queas. Ad hæc ille; Tu mihi dux, ô Virgo, tu conſultrix, tu mihi conſo-*

latrix,

latrix, tu domina, tu magiſtra, quid igitur me loqui iubes te præſente?

Illa autem, conuenientius eſſe ſubiunxit, vt aurem mortalis hominis humana vox feriat, quod hãc iſte ferat æquanimiùs. Tũc videns S. Pater ſe & Petrarchæ amore, & iubentis Virginis auctoritate obligari ad parendum, Petrarcham benignè intuens, paternoque refouens complexu in ſecretiorem loci partem Veritate præuiâ parumper abduxit. Ibique de tam ſublimibus ac diuinis vltrò citroque inter ſe rebus ſpectantibus non ſolùm ad Petrarchæ, ſed & totius humanæ gentis inſtructionem ſermonem miſcuerunt, qui in triduum productus eſt: poſtea autem ne tanti momenti doctrina memoriâ enataret, concinnauit tres Dialogos; in quibus interloquuntur Auguſtinus & Petrarcha, appellauitque *Secretum ſuum*, ob prægnantia myſteria in totius Eccleſiæ vſum, quæ illis continẽtur, quæque à ter glorioſo P. Auguſtino bibe-rat, propalata.

CAPVT

CAPVT XVI.

Non vulgaris S.P.N. Augustini in Parentes Pietas, Humilitas, in Deum Amor.

S. Aug. insignis in parentes pietas Lib. 9. confess. c. 13.

Insignis precatio à S. Aug. pro defunctis parentibus facta; docen in officio Missæ extare verum corpus & sanguinē Christi Iesu: ac præterea oratio pro defunctis approbatur, quod validum contra hæreticos est argumentum.

SVmmam equidem parentibus obseruantiam studiumque detulit Augustinus. Monica namque suauissimâ matre è viuorum contubernio ablatâ, subueritus ne vitio humanæ fragilitatis minutulos aliquot næuulos animæ forsan identidem adflasset, qui nondum expiati expunctiq; forent, eius Patritijque animas Deo, perbellâ hac precatione, commendabat: *Ego itaq; laus mea, & vita mea, Deus cordis mei, pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum, quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis: dimitte illi & tu debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos, post aquam salutis: dimitte Domine, dimitte obsecrò, ne intres cum eâ in iudicium. Superexaltet misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus. Quod vt essent tu dedisti eis: qui misereberis, cui misertus es, & misericordiam præstabis cui misericors fueris. & credo iam feceris, quod te rogo, sed voluntaria*

oris

oris mei approba Domine. Namque illa imminente die resolutionis suæ, non cogitauit suum corpus sumptuosè contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrium. Non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuũ fieri desiderauit; cui nullius diei prætermissione seruierat: vnde sciret dispensari victimam sanctã, quâ deletũ est chirographum quod erat contrarium nobis; quâ triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quid obijciat: & nihil inueniens in illo in quo vincimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretium, quo nos emit vt nos offerat ei? ad cuius pretij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo à protectione tuâ dirumpat eam. Non se interponat, nec vi nec insidijs Leo & Draco. Neque enim respondebit illa nihil se debere, ne conuincatur, & obtineatur ab accusatore callido: sed respõdebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet, quod pro nobis non debens reddidit.

Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem nulli nupta est. Cui seruiuit fructum tibi afferens cum tolerantiâ vt eum quoque lucraretur tibi. Et inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis: quibus & voce, & corde, & litteris seruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ, cum Patritio quondã eius cõiuge:

per quorùm carnem introduxiſti me in hanc vitam, quemadmodum neſcio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in æterna Hieruſalem; cui ſuſpirat peregrinatio populi tui ab exitu vſque ad reditum; vt quòd à me illa popoſcit extremum, vberius ei præſtetur in multorum orationibus, tam per Confeſſiones, quàm per orationes meas.

Mira S. Aug. humilitas.

Tanta illum depreſſit humilitas, vt nullâ præpeditus verecundiâ, dederit in apertam lucem tres decemque Confeſſionum libros, euulgantes omnia delicta ſua, quibus ſe ab ipsâ infantiâ, ad Conuerſionis vſquè diem vitiarat. Tam concitati torrentiſque in Deum amoris fuit; vt cuncta eius ſcripta, Confeſſiones præſertim, Meditationes, & Soliloquia perlegentibus ignita planè verba, flammanteſque putentur ſyllabæ, quibus Deum conſcindit. Vt non abs re ſit, quod pictorum vulgus manibus eius Cor illinat, ad ſignificandum nempe; quod illud ipſum Deo perpetim dederit, dicauerit, conſecrauerit.

CAPVT XVII.

Series plurimarum Religionum institutarum per Patriarcham S. Augustinum, & sub eiusdem regulâ confirmatarum. Ex Offic. Ord.

TAm varias, variéque florentes, hâc etiam tempestate, toto terrarum orbe diffusas, & animabus fructuosas instituit Religiones, vt ad rem valdè pertineat trita illa *Magni Patris* appellatio.

Porrò omnium Religionum principatus assignatur illi, quæ titulo Eremitarum S. Augustini nota est, ab eo instituta ac fundata primò in Italiâ, ac denuò in Africâ circa annum virginalis partionis 390. approbataque ab Innocentio Primo anno 406. prout suprà cap. 14. declaratum est. Postliminiò autem idem Ordo confirmationem nactus est à Leone I. Innocentio III. Gregorio IX. Innocentio IV. Alexandro IV. ac diuersis alijs summis Ecclesiæ præstitibus.

Vndetriginta religiones sub regula S. August. militantes.

Succenturiatur Religio siue congregatio Clericorum quam instituit in ciuitate Hipponési. an. Christianæ salutis 394. qui demũ appellati sunt Canonici Regulares.

Possid, in vitâ B. August. Verùm, post illam Religionem Clericorum siue Congregationem à S. P.N. Augustino exorsam, plures aliæ sunt ordinatę cõgregationes à diuersis viris sanctis, & approbatæ sub regulâ Augustinianâ.

Vincent. in specul. Histor. l. 26. c. 15. Quarum agmen ducit illa, quæ originem suam S. Iuoni in Bellouacensi Franciæ ciuitate acceptam fert, circa an. Dom. 124.

B. Antonin. l. 2. Histor. tit. 15. cap. 16. Succedit, illa quæ S. Ruffo Lugdunensi Episcopo auctore in Germaniâ, Galliâ, Italiáque floret, approbata sub regulâ S. P. N. Augustini, anno 1100. teste in suâ Apocalypsi V. Abbate Ioachimo.

Tertia est Præmonstratensium orta in Galliâ, Germaniâ, & Hispaniâ, S. Norberto inuentore, sub regula S.P.N. Augustini, cõfirmitate à Calixto II. circa annum 1119. acquisitâ.

Vincent. ib. l. 26. c. 46. Anton. 2 part. hist. tit. 15 c. 27. Quarta est Congregatio Canonicorum Grandmontensium, producta in Galliâ à S. Eremitâ Stephano d'Auuergneo: ac dein corroborata à Gregorio VII. sub eâdẽ S. P. N. Augustini regulâ.

Offic. Ord. impressa Venet. Romæ, Paris. &c. Quinta est Congregatio Canonicorum S. Saluatoris (qui etiamnum reperiuntur in Italiâ haud procul à Senis) instituta, ab aliquot venerandis Patribus Eremitis August. loco *De Scopto* dicto; & approbata sub regulâ S.P. August. per Gregorium XI. an. 1407.

Sexta

Sexta Congregatio Friſonaria enata in Italiâ, prope vrbẽ Lucam, promotorẽ Fr. Iacobo Bergomate, ſub regulâ Auguſtinianâ: circa annum 1407. *Anton l. 2. hiſt. tit. 15. cap. 23.*

Septima eſt parua Congregatio S. Spiritus dicta, exorſa Venetijs ope Exim. Ord. noſtri Doctoris P. Gabrielis Spoletani, ſub eadem regulâ, circa annum 1415.

Octaua Congregatio S. Georgij, quæ cœptum ſuum etiam cœpit propter Venetias, auctore B. Laurentio Iuſtiniano Protopatriarchâ Veneto, ſub eadem regulâ: per Gregorium XII. an. 1408. probata.

Nona eſt Congregatio SS. Triados, ſiue Redemptionis captiuorum, quæ initium ſumpſit in Hiſpaniâ, à Reu. Patr. Ioanne de Mata, Ord. Eremit. S. Auguſtini Religioſo, ſortita approbationem Innocentij III. ſub regulâ S.P.N. anno 1197.

Decima eſt Congregatio B. Ambroſij, ipſum auctorem agnoſcens in vrbe Mediolanenſi anno 385. longo poſt tempore anno videlicet 1431. ab Eugenio IV. confirmata, & ſub regulam Auguſtinianam redacta.

Vndecima eſt celeberrima Fratrum Prædicatorum religio inſtituente eam S. Dominico circa annum 1198. & comprobãte ſub regulâ S. Auguſtini Honorio III. an. 1216.

Duodecima eſt Religio Cruciferorum à

S.Ciriaco principium ducens anno 364. ac dein proba iudicata ab Innocentio III. ſub eadem regulâ anno 1215. poſtmodum verò, ab Innocentio IV. & Pio II. circa annum 1458. reformata.

Decima tertia eſt Religio Seruorum B. Mariæ auſpicio B. Philippi Florentini, circa annū 1285. adiecto calculo Benedicti II. ſub eadem regulâ.

Quarta decima Religio eſt S. Brigidæ, quæ cœpit anno 1367. & approbata, regulæque Auguſtinianæ ſubdita eſt per Gregorium XI. anno 1376.

Quintuſdecimus Ordo eſt S. Pauli primi Eremitæ, initium habuit in Germaniâ à B. Euſebio, anno 1215. & poſtea confirmatus à Ioanne XXII. ſub eadem regulâ.

Sextadecima eſt Congregatio S. Antonij, approbata ſub eadem regulâ Honorij III. cenſurâ circa annum 1220.

Decimus ſeptimus eſt Ordo S. Hieronymi incœptionem ſuam S. Lupo in Hiſpaniâ adſcribens anno 1414. admiſſus à Martino V. & approbatus ab Eugenio IV. ſub regula S.P.N. Auguſtini, anno 1433.

Decimus octauus eſt Ordo Ieſuatorum orſus à B. Ioanne Senenſi, & comprobatus ab Vrbano V. ſub eadem regula, an. 1365.

Vn-

Vndeuigesimus est Ordo, siue Congregatio Vitæ communis B. Gerardo Teutonico inuentore, & approbatore Gregorio XI. sub hac eadem regulâ, anno 1376.

Vigesimus est Ordo S. Hieronymi alius, qui iuxta Fezulas primordium traxit à B. Carolo Florentino, anno 1406. & confirmationem à Gregorio XII. sub eadem regulâ.

Prima & vigesima est alia Congregatio Eremitarum S. Hieronymi, B. Petro Pisano exordium tribuens anno 1380. quæ pristino decori restituta est per Pium V. sub regulâ S. Augustini, & tandem confirmata ab Eugenio IV.

Secundus post vigesimum est Ordo Apostolinorum à D. Barnabâ in Oriente inchoatus: pòst in diuersas orbis plagas dispersus, ac nouissimè adunitus sub regulâ Augustinianâ per Innocentium VIII. anno 1484.

Tertius & vigesimus Ordo est Equitum S. Ioannis Hierosolymis incœptus à non parui nominis Gerardo quodam an. 1080. ac postmodum robur nactus à varijs Pontificibus sub eadem regulâ.

Vigesimus quartus est Ordo Equitum S. Lazari, primùm institutus Hierosolymis, circa annum Domini 360. quem postea ra-

tum fecit Sedes Apostolica sub regulâ D. Augustini, & Alexander, Piusq; IV. multis priuilegiis ampliarunt.

Vigesimus quintus est Ordo Equitum S. Iacobi, in Hispaniâ, qui lucem aspexit inceptore D. Petro Bernardino & circa annũ 1170. confirmatus sub hac eadem regulâ per Alexandrum III.

Sextus & vigesimus est Ordo Equitum S. Mariæ de Monteze in Hispania introductus per D. Iacobum Arragoniæ Regem anno 1212. & probatus à Gregorio IX. sub eadem regulâ anno 1230.

Septimus post vigesimum est Ordo Teutonicorum in Germania, primò prodiens circa annum 1220 & approbatus sub regula S. Augustini à Cælestino III.

Duodetrigesimus est Ordo quorundã Cruciferorum in Hispania habitu planè nigro, crucem partim albam, partim atram in pectore gestantium. Religiosi illi indigitant se Augustinianos, quia iurã in eius regulã.

Vndetrigesimus est Ordo Equitum IESV CHRISTI in Lusitaniâ institutionem, & approbationem habens à Ioanne XXII. sub hac quoq; regulâ anno 1328.

Sunt id genus aliæ sine numero Congregationes in Ecclesiâ tam virorum quàm mulierum; quæ vt exactè omnes ad calcu-

lum

lum reuocarentur, magnæ molis volumen conferciendum foret. Vnde clarescit, quantus religionum Atlas sit gloriosus hic Pater, & quòd non temerè κατ' ἐξοχὴν, vocitetur *Monasticæ vitæ cultor,* progenitor omnium percelebrium religionum, & *Magnus Pater* ab Ecclesiâ.

CAPVT XVIII.

Nonnulla quæ D. Augustini mortem præiuere, quæ subiuere miracula. Item honora eiusdem è viuis migratio.

NAm miraculis etiam immane quantum luculentis inclaruit. Refert in libris Ciuitatis Dei (quamuis de alio loqui simulans) se, post emissas coram Deo, cum quibusdam piis presbyteris, precationes pro sanitate cuiusdam lethaliter infirmi, cui necessariò cauterium, aut alia sectio impendebat, voti compotem factum, & antequam metuenda admouerentur tormenta, incolumitatem cælitus impetrasse. *Lib. 22. ciu Dei cap. 8.* *Quidam precibus D. Aug. curatur.*

Aliàs, infantem inualitudine non mediocri tactum licet absens, non alio quàm expectoratarum precum pharmaco curauisse. Ad eundẽ D. Augustinum, ex morbo

Possid. in vita D. August. c. 20. decumbentem quidam alium perperam quoque valentem adducen~, adiuit, & impositionem manûs in ægri caput (sanitatem animò & spe complexus) expostulauit; ad quem Augustinus; si quid eâ in re posset, sibi se hoc iam pridem præstiturum fuisse. Cui rursus infirmi gerulus: quòd se dormienti proximâ nocte species sic fantis obtulerit: *Vade ad Augustinum* Episcopum *vt affectæ parti manum imponat, & saluus eris.* Quo ille audito, non detrectauit, & infirmus ab infirmo firmus abijt. *Idem ibidem.* *Noui eundem* (iterum Possidonius) *& Presbyterum, & Episcopum pro quibusdam energumenis patientibus, vt oraret rogatum, eumq; in oratione lacrimas fundentem Deum rogasse, & dæmones ab hominibus recessisse.* *Alphons. Orosco chron. Ord. vitâ S. August.* Huic haud est dispar, quod relatione Oroscus comprehendit: Iuuenem quendam ab impurissimo possessore adeò discruciatum, vt modò se in ignem, modò in aquam, modò in terram volueret, commendatum S. Augustini tunc adhuc superstitis precibus, liberum extemplò discessisse.

Lib. 22. Ciu. c. 8. Hipponensis quædam puella ab eodem inquilino inhabitata, ex continenti derelicta fuit, vbi se oleo cui S. P. Augustinus pro illâ orans lacrymas instillarat, obleuisset; nec eò audaciæ dein unquam processit, vt

eam

eam denuò impeteret. Enarrat ipſemet Auguſtinus, tanquam aliûs cuiuſpiam Presbyteri miraculum hoc, ſed ſuumipſius eſſe, luce clarius eſt: alieno autem adſcribere, fumeæ gloriolæ ſuaſit cautio.

Miraculûm huiuſcemodi tam prodigus in vitâ fuit, vt antonomicῶs *Miraculorũ patrator* paſſim audiret; quæ ſi ſingulatim percenſerentur, vaſtus concreſceret liber.

Inclytus igitur P.N. Auguſtinus, poſt exudatos hunc in modum toto æui decurſu, ad Dei gloriam, Hæreſium eradicationem, S.M.E. incrementum, animæque ſuæ quæſtum, labores; videns VVandalos efferatâ pectoris barbarie percitos totam Africam miſerè peruaſtare, nulli ſexui, ætati, conditioni parcitum ire, cordolijs animique angoribus amaricatum ſuſtinebat ſenium. Proprijs inſpectans oculis, ſuos iam per hoſtiles furias in fugam actos, palatos diſperſòſque, alios enectos, alios fidiculis à fide motos, ſolatas Eccleſias, ſacrorum miniſtros peſſimè habitos, virgines deuirginatas, continentibus corporis pariter & fidei integritatem ablatam: Sacramenta peſſum ire: verbo; impietatem vbique locorum primas tenere, ipſam denique Hipponem armis clauſam: ſanctiſſimus Pater diuinæ Maieſtati ſupplex, feruentiſſima pro oui-bus

Ploratus D. Aug. in VVãdalicâ perſecut.

bus ſuis vota profudit, adaperiens illi earũ ærumnas, vt eam ad miſerendum afflicto-rum Afrûm proritaret; quanquam ob nefanda quibus ſe indies ſpurcabant ſcelera, non mererentur eximi miſerijs, quibus adamantina illorum corda magis obſtinabantur, quàm ad pœnitentiam liqueſcebant. Fuit igitur eius (vt ex traduce illam ſuxit ordo noſter) hæc oratio:

Oratio quàm cõpoſuit D. Aug. paulò ante mortem Hippone obſidione cinctâ.

Ante oculos tuos Domine culpas noſtras ferimus, & plagas quas accepimus, conferimus.

Minus eſt quod patimur, magis eſt quod meremur.

Peccati pœnam ſentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis iniquitas noſtras vertitur, & iniquitas non mutatur.

Mens ægra torquetur, & ceruix non flectitur.

Vita in dolore ſuſpirat, & in opere non ſe emendat.

Si expectas, non corripimur; ſi vindicas, non duramus.

Confitemur in correptione quod egimus, obliuiſcimur poſt correptionem quod fleuimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus; ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non ſoluimus.

Si fe-

Si ferias, clamamus vt parcas; si peperceris, iterum prouocamus vt ferias.
Habes Domine confitentes reos.
Nouimus, quod nisi dimittas, rectè nos perimas.
Præsta Pater omnipotens sine merito quòd rogamus
Qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent, Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Verùm, quia nihil obstantibus eius obtestationibus, Deus planè obfirmatum habebat, atrocibus eorum flagitijs id exigentibus, & vrbem & patriam totam immiti VVandalorum dedere direptioni, tantæ Ecclesiæ cladi, tamque infami pernicici indolens, passis cœlo manibus, stillatis vbertim lachrimis, singultiens, imoque à pectore promens suspiria, cordecorporeque ante Deum proiectus noctu, diu, mente & ore calidissimis formidabilem maiestatem deprecationibus lassabat; vt aut à fidelium suorum ceruicibus intolerabilem hanc malorum nubem propelleret, aut in coangustato hoc discrimine duramentum sufficere, aut se denique ex rerum naturâ seuocare dignetur, damnauit illum postremi voti clemens Numen.

Nam tertio istius obsidij mense, febribus fatigatus, lecto affigi cœpit. Præsentiscens ergò, Dei se largitate, desi-

derij summam attigisse, & iam tempus appetisse ex hac fastidiorum miseriarumque lacunâ, per viam vniuersæ carnis secedendi, septem Dauidicos pœnitentiam spirantes Psalmos oculis subijci iussit, quos recitans tantùm non lachrymis deleuit. Inoleuerat etenim illi hoc axioma: Nemini homini quanquam nullius sibi noxæ conscio citra pœnitentiam de statione vitæ discedendum esse. Nihil igitur alienatis sensibus, illæso iudicio, toto affectu in Deum porrecto, Fratribus suis Eremitis lectulum ambientibus, priùs ad caritatem, pietatem, aliasque id genus Christianas virtutes exhortatis, spiritum posuit, anno humanæ salutis 434. ætatis suæ 76. Quinto Kal. Sept. Corpus eius splendido apparatu, complorante omni populo, Fratrum suorum Eremitarum humeris ad Ecclesiam S. Stephani Cathedralem fuit elatum: vbi annis duobus & sexaginta conquieuit. Multo autem post tempore, S. Fulgentij eiusdem Ord. Religiosi, Episcopi Ruspensis gnauitate translatum primò fuit in Sardiniam, vbi annis ducentis viginti tribus conquieuit, ac denique redemptum est pretiosum hoc cimmelion è manu barbarâ, vi auri immensa Luitprandi Longobardorum regis munificentiâ, Ticinumque auectum *in aureo*

Morte cõtiguus S. Aug. iussit lectulo affigi Psal. Pœnit.

Gloriosa mors S. Aug.

S. Aug. corpus transfertur in Sardiniã, ac dein Pataniũ vbi modò quiescit.

San-

Sancti Petri cælo(id enim templo nomen, vt ante dictum) vbi hoc etiam lustro situm est; quod gargara miraculorum loquuntur. *Cap. 2.*

Pauco rursum post tempore Ioannes XXII. pleno purpuratorum patrum suffragio, sacrosancto hoc pignore Eremitas Augustinianos, tanquam veros hæredes, tantique Patris legitimam sobolem donauit, quod perspectum facit præfati Pontificis diploma in hunc finem concinnatum. *S. Aug. corpus redditũ fuit Fratribus Eremitis auctoritate sedis Apostol. tanquã veris hæredibus.*

Magnus itaq; Patriarcha S. Augustinus iamnunc in astris triumphat, implens ibidem non gregarium, sed quod plurimis gradibus super Sanctorum cæteros euectum est felicitatis solium. Cuius rei præclara testis est admiranda illa apparitio Romæ in D. Petri facta; nobis autem è libris Moralium S. Gregorij in Iobum Prophetam, rogatu S. Leonardi Hispalensis in Hispaniâ Episcopi commentis transdita.

Sancto Leonardo ac dein Germano eius Isidoro in Episcopatu successore hinc à Deo ad feliciora euocatis, euênit indiligentiæ vitio, an temporis decursu, nesciò; hosce Moralium S. Gregorij commentarios ita disperijsse, vt vel vnum non exstaret exemplar. Id lugens non vulgariter Cyndesinus Iberûm Rex, triginta Episcoporum in vrbe Toletanâ Concilium cogit, *Hoc miraculum habetur ante præfationẽ moral. Greg. in Iob.*

vbi

vbi ſuffragiorum vniformitate decretum eſt, quempiam ad horum aucupium librorum Romam deſtinare. Re itaque tam probè conſultâ, Rex Tagionem Cæſarauguſtanum Epiſcopum, diuinæ paginæ amantiſſimum, Catholico vereque pio rege dignis onuſtum muneribus, eò ablegat. Qui honorificè exceptus Romæ, præſentatisque ſuæ Sanctitati regiis donis ac literis, animaduertit quidem non inuiſam eſſe petitionem ſuam; verumtamen conſiderans, eam ex die in diem plurium grauiumque negotiorum interuentu protolli; necnon difficultatem aliquam eos in tantâ librorum copiâ Bibliothecæ aut archiui Apoſtolici, inueniendi prætexi, popoſcit ad extremum nocte vnicâ in Baſilicâ D. Petri precibus inuigilandi, permiſſum. Quo à Pontifice conceſſo, quum intentione quâ maximè poterat Deum ſolicitaret, vt locum illi diſcupitos libros continentem deuelare dignaretur, ne ſpe fruſtratus redire cogatur: ecce nocte intempeſtâ, totus in prece exardeſcens, videt omni Eccleſiæ ambitu offertiſſimum lumen diffundi: ac delectam virorum candidatorum cohortem ingredientum, qui bini, decentique ordine rectà verſus altare S. Petri progrediebātur. Cùmque nimio terrore quaſi obſtipus hæreret,

duo

duo ex illâ ſerie diuertentes ad illum tendunt; quorum alter blanditer illum ſalutans, quid hominis eſſet, vnde, & cuius rei gratiâ veniſſet, & cui bono id horæ ibi excubaret, percunctatur. Epiſcopo verò ad ſingula reſpondente, & itineris rationem ab ouo (quod dici ſolet) aperiente, is qui aduenerat, indicem exerens: quos quæris libros, (inquit) illud quod cernis, ſcrinium ſtrangulat. Tunc Epiſcopus animo nonnihil erectior, indutâ audaciâ, dignare ait, amabò te, mi Domine, mihi ſeruo tuo pandere, quænam ſit illa, quæ ſub oculos vênit, ſpecioſa virûm proceſſio? Ille protinùs; duo illi, quos manibus inuicē implexis agmē vides ducere, Apoſtoli ſūt Petrus & Paulus: Reliqui autē qui hos ponè ſubeunt, ſuccedanei ſūt huius Apoſtolicæ ſedis Antiſtites. & ceu hanc Eccleſiam viui examarunt, ita & nunc defuncti: quod ſimili viſitatione nō infrequēter cōprobant. Tūc Epiſcopus; Expedi mihi, quæſo, Domine, quis tu ſis? Gregorius sū, cuius librorū gratiâ, iter tam prolixū emēſus es: qui ad hoc aduêni, vt deſiderium tuū expleā. Ediſſere, ſodes Domine mi (infit iterū Epiſcopus) quis iſtorū (modò præſens adſit) eſt B.P.Auguſt. cuius me ſcripta, non minùs quàm tua delectant. Tum categoricè Gregorius: *Beatum Auguſtinum virum excellentiſſimum, de quo quæris altior à nobis* *con-*

Editiore ſupra calites gradu gaudet Auguſtnus

continet locus. Dixit, & ad ſuos ſe cum ſocio recepit. Deinde inſpectante Epiſcopo, omnes ſimul ad aram D. Petri cernuis frōtibus reuerenter incuruati, eodem quo intrarant ordine ſunt Eccleſiam egreſſi. Viſioni autem poſteà euentus reſpondit. Hoc prodigio abundè perſpicua redditur eminentia huius Patriarchæ; qui, (vt præfatum eſt) etiam viuus, ab ipſo Dei filio *Magnus* dictus eſt.

Paulus Bergom. in Apolog. Ord. Ioſephus Pamph. in chron. Fr. Eremit. S. Auguſt. 1400.

Cùm inter Ioannem Franciſcum Mantuæ Marchionem, & Philippum Galeatiū Mediolanenſium Ducem cruentum oppidò & exitiale bellum anno editi Saluatoris 1403. exarſiſſet (hic Ligurum Mantuæ Marchionatum ſpe inuadentium partes ducebat) Marchio primariâ ſemper affectione S. Auguſtinum proſecutus, infimis illum ſupplicijs orat & obſecrat, precariâ vt dignetur interpoſitione præpedire, ne præſenti hac clade Dominia ſua furentes adobruant aduerſarij, vix finierat preces Marchio, & ecce tibi ipſum Auguſtinum certam victoriam pollicentem. Ad cuius ille conſpectum tantos animos ſumpſit, vt collecto milite, eoque pijſſimâ ad ſtrenuè dimicandum exhortatione accenſo, cum Liguribus atrociſſimâ pugnâ bis tam feliciter manus conſerüerit (die qui S. Auguſti-

no

no ſacer eſt) vt Ducem ipſum toto cum exercitu profligarit: quapropter actis gratiis, accurauit S. Auguſtinum eadem quâ ſe illi conſpicandum obtulerat formâ depingi, nigrente ſ. cucullo, pelliceaque cincturâ, annuum feſtum Mantuæ in Eccleſia noſtra D. Agneti dicatâ, omni populo celebrãdum indicens. Et quo certior fieret poſteritas, ſe hanc victoriam D. Auguſtini fauentiæ ferre acceptam, ſubiecto eam Epigrammate, in quo illum patriæ, ſuumque vocitat protectorem, æternitati conſecrauit: *Victoria per merita S. Auguſtini donota.*

Vos patriæ ciues, quibus hic Pater expulit olim
Bis Ligures, lætumq; dedit bis habere triumphum,
Dum ſua curriculo bis feſta darentur eodem,
Eſte boni memores, & grata aduertite dona,
Et mecum huic laudes, mecũ hos celebretis honores.
Protector patriæ, tu ſpes tutiſsima noſtræ
Auguſtine parens, Doctor lux inclyte ſacri
Eloquij, innumeras Ocnæas accipe laudes.
Tendimus inde manus, vt quondam, protege Princeps.

Porrò Canonicis Regularibus Mantuanis indignè ferentibus, quòd illorum habitum D. Auguſtino Marchio non appinxiſſet, & ſolemnitatem in ipſorum D. Bartholomeo ſacrâ æde celebrari non mandaſſet; facti cauſam intulit, quòd Fratres Eremitas in quorum veſte bis illi ſpectatus fuiſſet *S. Aug. apparuit veſtitu nigro, loreâ zonâ cinctus, prout veſtiuntur Eremitæ Auguſtin.*

 Augu-

Augustinus pro veris eius filiis agnosceret.

P. Simpl. Torrin. lib de indulgent. confrat. Epidemiâ vrbem Patauinam grauiter infestante, ciues versis ad Deum animis per sanctos nomenclatores Cyrum, Theodorum, & S.P. Augustinum, quorum opitulamenta prouocabant, sunt ab eâ contage ex tempore deserti. Virorum enim hæc trias in mœnibus constitit Pontificio ornatu coruscans; & se vrbi subsidio venisse manifestans; qui postea peniculo expressi sunt in atrio Curiæ, eâdem prorsus effigie, quâ se videndos dederant, ne videlicet præclari huius beneficii memoria dilueretur.

S. Aug. Papiam à peste soluit.

Fr. Antonius Azued. lib. 3. Catech. fid. Annis ab hinc non paucis, correctionem correptionemq; Hispanię gentis meditans Deus, inuexit in Archiepiscopatum Toletanũ infinitam locustarũ, & insectorum similiũ copiã, quæ validè perniciosâ rosione arbores, plãtas, gramina radicitus depopulabant. Quâ calamitate perstrati incolæ ad cælũ, & eorundẽ Sanctorum opẽ mentes, oculosq; mittunt. Quia verò peculiariore æstu suspirabant in Augustinũ, ei præ cæteris supplicant, vt bestialem hanc luem, præsentem terræ frugum absumedinem, quâ in aulâ cælicâ pollebat gratiâ, abigere ne negaret, meliorem interim vitæ frugem seriò recipientes. Pauco post tempore D. Augustinus plerisque incolarum spectabilẽ se præ-

buit

buit Episcopali penulâ præfulgentem, perticâ armatum, quâ totum illud vermiũ examẽ propellebat ad mare, eâ quidem promptitudine ac pernicitate, vt fermè intra vnius horæ spatium è totâ prouinciâ exterminati, ne vno quidem superstite, in pelagus præcipites ruerent. Cui beneficio recolendo, festum D. Augustini in eodem Archiepiscopatu quotannis ab omnibus agitur; ac præterea ipsâ Dominicâ *Quasi modo, siue in Albis*, clerus primatis Ecclesiæ Toletanæ eiusdem rei gratiâ, solemni processione ad Conuentum S. Augustini progreditur: cui pietati videtur spontaneo se voto obstrinxisse. *Locustæ à S. August. prepulsæ Toleti.*

In eodẽ Archiepiscopatu è nobilitate vir quidã S. P. Augustinũ, sanctumque Stephanum martyrum coryphæum propensior, eâ felicitate muneratus est, vt vltimo fati die vtriusq; visione dignatus sit; exhalatâ autem animâ & corpore ad sepulturam disposito, visi sunt iidem duo cæli ciues è cõfertâ hominũ turbâ, cadauer viri nobilis abripere, & ad locũ humationi præstitutũ gerere; in recognitionẽ videlicet piissimi affectûs, quẽ huic Diuorum pari impenderat. Sexcenta huius generis miracula confieri Numẽ voluit, vt splendido illorũ fulgore, plurimum claritudinis Sancti sui gloriæ accederet. *S. Aug. cum S. Stephano defũcto homini famulati sunt.*

CAPVT XIX.

Posterior Patronus almæ Sodalitatis Zonigeræ S. Nicolaus Tolentinas: cælestiaq; adolescentiæ eius exercitia.

Iosephus Pamph. in chron. Ord.

Idem ib.

S. Nicol. Tollent. videt Christũ infãntili specie in consecratâ hostiâ.

SPectatissimæ hic sanctitudinis vir, Fratrum Eremitarum S. Augustini religionem professus est anno 1242. Vir reuerà virtutum ac miraculorum splendore tam celeber, vt vix secundum habeat: In adolescẽtiâ, tam Deo dilectus, vt illi non semel; Sacerdote incruentem hostiam sub Missæ sacrificio, attollente: Christus Iesus se manifestè specie hæc verba *Innocentes & recti adhæserunt mihi* fantis infantuli conspicabilem fecerit.

Abstinentia S. Nicol.

Offic. Ord. Eremit. B.P.N.

Annum sextum aut septimum necdum excesserat cùm (S. Nicolai Barensis omnibus Mercurij ac Veneris diebus, singularum hebdomadum genium fraudare soliti exemplo) abstinentiæ virtutem peramare, eoque rigore perpetuare cœpit, vt totos triginta annos, nec carnibus, nec ouis, nec lactarijs, nec piscibus, imò ne pomis quidem famem placaret; & præter hanc viuendi austeritatem alternis etiam diebus (adiecto-

ctoque velut pro mantiſsâ Sabbatho) ſe ſolo panis & aquæ, & quidem perparco refecerit alimento. *Anguſt. in vitâ ipſius.*

Grauiſſimâ aliquando ægrimoniâ laboranti, cùm Cœnobiarcha, ex Medicorum ſententiâ, præcepiſſet, reſtaurandæ incolumitati carneas dapes mandere, peracerbâ mordetur mœſtitudine, conſpicanſque ſe hinc ad inuiſum edulium Superioris adurgentis iuſſo pertrahi, illinc particulari perpetis à carnis eſu continentiæ voto retrahi; annuentis ac renuentis medius, Deum obteſtatus eſt, vt modum illi ſuggerat vtrumque pariter (ſolemne nempe Obediẽtiæ votum Prælato factum, & priuatum tacito in ſinu conceptum) adimplendi. Hâc precatione, de impetratione ſecurus, intentiſſimè prolatâ, morem gerere & Medicorum conſulto, & Superioris mandato, animum induxit. Allatis igitur aſſatis altilibus (par perdicum ſunt qui reantur fuiſſe) ſimul vt ea crucis ſigno quaſi iam eſurus ſignaſſet, alites rediuiuæ non ſecus atque in agris manuum comploſione agitatę, auolarunt. Quo pacto binis ſe votis expediuit, & Obedientiæ pharmaco valetudinem receptauit. *B. Iord. l. 2. vit. Frat. c. 3.* *Aſſæ alites miro modò per preces D. Nicolai quò volunt volant.*

Vſurpauit inſuper ſubigendæ carni non vnius modi ſpirituales exercitationes,

ſqualidá ſe & hirſutâ moleſtans tunicâ; ſub quâ, ferreâ nudum corpus catenâ coarctabat. Nihil tamen illum morante hâc victûs aſpredine, cibatuſque parſimoniâ, eò humilitatis redactus eſt, vt ſubuereretur vſque, ne ſua non ad Dei guſtum fortaſſis eſſent opera. Verùm Deus hunc illi ſcrupulum adimere, quamque ea ſibi arriderent aperire, volens, ſtitit ſe illi, ſic locutus: *Sine curâ te eſſe iubeo, Nicolae. tuis enim in operibus atq; exercitiis acquieſco.* Quo affatu animo illi addito, eadem deinceps gnauiter perpetuauit.

Ex Offic. ord. Eremitici Auguſt. in vita S. Nicol.

CAPVT XX.

Miraculorum plauſtra S. Nicolaum euehunt.

NOn eſt mens, in hunc locum congerere miracula omnia, quæ per S. Nicolaũ edere dignatus eſt Deus; ne Iliade longior fiat narratus (Beatus enim Iordanus fatetur ſe volumen integrum iis conferciſſe, quod tamen hactenus oculos noſtros fugit) aſt lectiora quædam dumtaxat, & quæ præ cæteris principem merentur locum hîc expediemus.

Vita Fr. l. 2. c. 11.

Aquæ penuriâ Conuentus noſter Tollentinus, quòd tam ille, quàm oppidum lo-

Aqua miro modo inuẽta per S. Nicol.

loco ſatis edito & quaſi in rupe ſita ſint, lõgo tempore, laborarat. Cùm igitur ſatagente Priore, omni moto lapide, & non vnâ eliciendis aquis, adhibitâ machinâ, nulla ſcatebra, ſolo quamaltiſſimè perfoſſo, vnquam inueniretur, S. Nicolaus tunc temporis eiuſdem Conuentûs alumnus præmiſsâ ſupplicatione, iuſſit operas ſub quadam ambitûs parietina integrare foſſionem. Illæ verò quibus viri ſanctitas non latebat, admodum obſeruatè omnibus eius iuſſis ſubſeruiebant; nec porrò fruſtrà. Ecce tibi, namque geminum vno loco miraculum. Prius; quòd illa, cui ſuffodiebant, parietina, omni ſoluta fulcro, in aëre penſilis, & quaſi concamerata hæſerit: (ipſi nos eius partem puteo imminentem vidimus) poſterius; quòd operæ iſtæ inciderint eueſtigio in fontem tam aquæ largum, cui excipiendæ, neceſſum fuit & puteum cauare tantæ altitudinis, qualis me nunquam memini videre. Idem ille puteus hoc etiam ſæculo perſtat, aquarum ſalubritâte tam nobilis, vt quotidiani eas ægri bibentes, vnà ſanitatem imbibant. Nobis etiam, Dei dono, licuit tam eſſe felicibus, vt has quoque in eodem Cœnobio libauerimus.

Simili miraculo adſcribendum videtur

squalidâ se & hirsutâ molestans tunicâ; sub quâ, ferreâ nudum corpus catenâ coarctabat. Nihil tamen illum morante hâc victûs aspredine, cibatusque parsimoniâ, cò humilitatis redactus est, vt subuereretur vsque, ne sua non ad Dei gustum fortassis essent opera. Verùm Deus hunc illi scrupulum adimere, quamque ea sibi arriderent aperire, volens, stitit se illi, sic locutus: *Sine curâ te esse iubeo, Nicolae, tuis enim in operibus atque exercitiis acquiesco.* Quo affatu animo illi addito, eadem deinceps gnauiter perpetuauit.

Ex Offic. ord. Eremitici August. in vita S. Nicol.

CAPVT XX.

Miraculorum plaustra S. Nicolaum euehunt.

NOn est mens, in hunc locum congerere miracula omnia, quæ per S. Nicolaũ edere dignatus est Deus; ne Iliade longior fiat narratus (Beatus enim Iordanus fatetur se volumen integrum iis conferciisse, quód tamen hactenus oculos nostros fugit) ast lectiora quædam dumtaxat, & quæ præ cæteris principem merentur locum hîc expediemus.

Vita Fr. l. 2. c. 11.

Aquæ penuriâ Conuentus noster Tollentinus, quòd tam ille, quàm oppidum lo-

Aqua miromodo inuẽta per S. Nicol.

loco ſatis edito & quaſi in rupe ſita ſint, lõgo tempore, laborarat. Cùm igitur ſatagente Prioré, omni moto lapide, & non vnâ eliciendis aquis, adhibitâ machinâ, nulla ſcatebra, ſolo quamaltiſſimè perfoſſo, vnquam inueniretur, S. Nicolaus tunc temporis eiuſdem Conuentûs alumnus præmiſſâ ſupplicatione, iuſſit operas ſub quadam ambitûs parietina integrare foſſionem. Illæ verò quibus viri ſanctitas non latebat, admodum obſeruatè omnibus eius iuſſis ſubſeruiebant; nec porrò fruſtrà. Ecce tibi, namque geminum vno loco miraculum. Prius; quòd illa, cui ſuffodiebant, parietina, omni ſoluta fulcro, in aëre penſilis, & quaſi concamerata hæſerit: (ipſi nos eius partem puteo imminentem vidimus) poſterius; quòd operæ iſtæ inciderint eueſtigio in fontem tam aquæ largum, cui excipiendæ, neceſſum fuit & puteum cauare tantæ altitudinis, qualis me nunquam memini videre. Idem ille puteus hoc etiam ſæculo perſtat, aquarum ſalubritâte tam nobilis, vt quotidiani eas ægri bibentes, vnà ſanitatem imbibant. Nobis etiam, Dei dono, licuit tam eſſe felicibus, vt has quoque in eodem Cœnobio libauerimus.

Simili miraculo adſcribendum videtur

squalidâ se & hirsutâ molestans tunicâ; sub quâ, ferreâ nudum corpus catenâ coarctabat. Nihil tamen illum morante hâc victûs aspredine, cibatusque parsimoniâ, cò humilitatis redactus est, vt subuereretur vsque, ne sua non ad Dei gustum fortassis essent opera. Verùm Deus hunc illi scrupulum adimere, quamque ea sibi arriderent aperire volens, stitit se illi, sic locutus: *Sine curâ te esse iubeo, Nicolae. tuis enim in operibus atq; exercitiis acquiesco.* Quo affatu animo illi addito, eadem deinceps gnauiter perpetuauit.

Ex Offic. ord. Eremitici August. in vita S. Nicol.

CAPVT XX.

Miraculorum plaustra S. Nicolaum euehunt.

NOn est mens, in hunc locum congerere miracula omnia, quæ per S. Nicolaũ edere dignatus est Deus; ne Iliade longior fiat narratus (Beatus enim Iordanus fatetur se volumen integrum iis confercisse, quod tamen hactenus oculos nostros fugit) ast lectiora quædam dumtaxat, & quæ præ cæteris principem merentur locum hîc expediemus.

Vita Fr. l. 2. c. 11.

Aquæ penuriâ Conuentus noster Tollentinus, quòd tam ille, quàm oppidum lo-

Aqua miromodo inuẽta per S. Nicol.

loco ſatis edito & quaſi in rupe ſita ſint, lõgo tempore, laborarat. Cùm igitur ſatagente Prioré, omni moto lapide, & non vnâ eliciendis aquis, adhibitâ machinâ, nulla ſcatebra, ſolo quamaltiſſimè perfoſſo, vnquam inueniretur, S. Nicolaus tunc temporis eiuſdem Conuentûs alumnus præmiſsâ ſupplicatione, iuſſit operas ſub quadam ambitûs parietina integrare foſſionem. Illæ verò quibus viri ſanctitas non latebat, admodum obſeruatè omnibus eius iuſſis ſubſeruiebant; nec porrò fruſtrà. Ecce tibi, namque geminum vno loco miraculum. Prius; quòd illa, cui ſuffodiebant, parietina, omni ſoluta fulcro, in aëre penſilis, & quaſi concamerata hæſerit: (ipſi nos eius partem puteo imminentem vidimus) poſterius; quòd operæ iſtæ inciderint eueſtigio in fontem tam aquæ largum, cui excipiendæ, neceſſum fuit & puteum cauare tantæ altitudinis, qualis me nunquam memini videre. Idem ille puteus hoc etiam ſæculo perſtat, aquarum ſalubritâte tam nobilis, vt quotidiani eas ægri bibentes, vnà ſanitatem imbibant. Nobis etiam, Dei dono, licuit tam eſſe felicibus, vt has quoque in eodem Cœnobio libauerimus.

Simili miraculo adſcribendum videtur

squalidá se & hirsutâ molestans tunicâ; sub quâ, ferreâ nudum corpus catenâ coarctabat. Nihil tamen illum morante hâc victûs aspredine, cibatusque parsimoniâ, eò humilitatis redactus est, vt subuereretur vsque, ne sua non ad Dei gustum fortassis essent opera. Verùm Deus hunc illi scrupulum adimere, quamque ea sibi arriderent aperire volens, stitit se illi, sic locutus: *Sine curâ te esse iubeo, Nicolae. tuis enim in operibus atq; exercitiis acquiesco.* Quo affatu animo illi addito, eadem deinceps gnauiter perpetuauit.

Ex Offic. ord. Eremitici August. in vita S. Nicol.

CAPVT XX.

Miraculorum plaustra S. Nicolaum euehunt.

NOn est mens, in hunc locum congerere miracula omnia, quæ per S. Nicolaū edere dignatus est Deus; ne Iliade longior fiat narratus (Beatus enim Iordanus fatetur se volumen integrum iis confercisse, quod tamen hactenus oculos nostros fugit) ast lectiora quædam dumtaxat, & quæ præ cæteris principem merentur locum hîc expediemus.

Vita Fr. l 2. c. 11.

Aquæ penuriâ Conuentus noster Tollentinus, quòd tam ille, quàm oppidum lo-

Aqua miromodo inuē ta per S. Nicol.

loco ſatis edito & quaſi in rupe ſita ſint,lõgo tempore, laborarat. Cùm igitur ſatagente Prioré, omni moto lapide, & non vnâ eliciendis aquis, adhibitâ machinâ, nulla ſcatebra, ſolo quamaltiſſimè perfoſſo, vnquam inueniretur, S. Nicolaus tunc temporis eiuſdem Conuentûs alumnus præmiſsâ ſupplicatione, iuſſit operas ſub quadam ambitûs parietina integrare foſſionem. Illæ verò quibus viri ſanctitas non latebat,admodum obſeruatè omnibus eius iuſſis ſubſeruiebant; nec porrò fruſtrà.Ecce tibi, namque geminum vno loco miraculum. Prius; quòd illa, cui ſuffodiebant, parietina,omni ſoluta fulcro, in aëre penſilis,& quaſi concamerata hæſerit: (ipſi nos eius partem puteo imminentem vidimus) poſterius; quòd operæ iſtæ inciderint eueſtigio in fontem tam aquæ largum, cui excipiendæ, neceſſum fuit & puteum cauare tantæ altitudinis, qualis me nunquam memini videre. Idem ille puteus hoc etiam ſæculo perſtat, aquarum ſalubritâte tam nobilis,vt quotidiani eas ægri bibentes,vnà ſanitatem imbibant. Nobis etiam, Dei dono, licuit tam eſſe felicibus, vt has quoque in eodem Cœnobio libauerimus.

Simili miraculo adſcribendum videtur

CAPVT XIX.

Posterior Patronus almæ Sodalitatis Zonigeræ S. Nicolaus Tolentinas: cælestiaq; adolescentiæ eius exercitia.

Iosephus Pamph. in chron. Ord.

SPectatissimæ hic sanctitudinis vir, Fratrum Eremitarum S. Augustini religionem professus est anno 1242. Vir reuerà virtutum ac miraculorum splendore tam celeber, vt vix secundum habeat: In adolescẽtiâ, tam Deo dilectus, vt illi non semel; Sacerdote incruentem hostiam sub Missæ sacrificio, attollente: Christus Iesus se manifestè specie hæc verba *Innocentes & recti adhæserunt mihi* sanctis infantuli conspicabilem fecerit.

Idem ib.

S. Nicol. Tollent. videt Chr'stũ infãntili specie in consecrâtâ hostiâ.

Annum sextum aut septimum necdum excesserat cùm (S. Nicolai Barensis omnibus Mercurij ac Veneris diebus, singularum hebdomadum genium fraudare soliti exemplo) abstinentiæ virtutem peramare, eoque rigore perpetuare cœpit, vt totos triginta annos, nec carnibus, nec ouis, nec lactarijs, nec piscibus, imò ne pomis quidem famem placaret; & præter hanc viuendi austeritatem alternis etiam diebus (adie-

Abstinentia S. Nicol.

Offic. Ord. Eremit. B.P.N.

cto-

ctoque velut pro mantissâ Sabbatho) se solo panis & aquæ, & quidem perparco refecerit alimento. *August. in vitâ ipsius.*

Grauissimâ aliquando ægrimoniâ laboranti, cùm Cœnobiarcha, ex Medicorum sententiâ, præcepisset, restaurandæ incolumitati carneas dapes mandere, peracerbâ mordetur mœstitudine, conspicansque se hinc ad inuisum edulium Superioris adurgentis iusso pertrahi, illinc particulari perpetis à carnis esu continentiæ voto retrahi; annuentis ac renuentis medius, Deum obtestatus est, vt modum illi suggerat vtrumque pariter (solemne nempe Obediẽtiæ votum Prælato factum, & priuatum tacito in sinu conceptum) adimplendi. Hâc precatione, de impetratione securus, intentissimè prolatâ, morem gerere & Medicorum consulto, & Superioris mandato, animum induxit. Allatis igitur assatis altilibus (par perdicum sunt qui reantur fuisse) simul vt ea crucis signo quasi iam esurus signasset, alites rediuiuæ non secus atque in agris manuum complosione agitatę, auolarunt. Quo pacto binis se votis expediuit, & Obedientiæ pharmaco valetudinem receptauit. *B. Iord. l. 2. vit. Frat. c. 3.* *Assæ alites miro modò per preces D. Nicolai quò volunt volant.*

Vsurpauit insuper subigendæ carni non vnius modi spirituales exercitationes,

squalidâ se & hirsutâ molestans tunicâ; sub quâ, ferreâ nudum corpus catenâ coarctabat. Nihil tamen illum morante hâc victûs aspredine, cibatusque parsimoniâ, eò humilitatis redactus est, vt subuereretur vsque, ne sua non ad Dei gustum fortassis essent opera. Verùm Deus hunc illi scrupulum adimere, quamque ea sibi arriderent aperire, volens, stitit se illi, sic locutus: *Sine curâ te esse iubeo, Nicolae. tuis enim in operibus atque exercitiis acquiesco.* Quo affatu animo illi addito, eadem deinceps gnauiter perpetuauit.

Ex Offic. ord. Eremitici August. in vita S. Nicol.

CAPVT XX.

Miraculorum plaustra S. Nicolaum euehunt.

NOn est mens, in hunc locum congerere miracula omnia, quæ per S. Nicolaũ edere dignatus est Deus; ne Iliade longior fiat narratus (Beatus enim Iordanus fatetur se volumen integrum iis conferciſſe, quod tamen hactenus oculos nostros fugit) ast lectiora quædam dumtaxat, & quæ præ cæteris principem merentur locum hîc expediemus.

Vita Fr. l 2. c. 11.

Aquæ penuriâ Conuentus noster Tollentinus, quòd tam ille, quàm oppidum lo-

Aqua miromodo inuẽta per S. Nicol.

loco ſatis edito & quaſi in rupe ſita ſint, lõgo tempore, laborarat. Cùm igitur ſatagente Priore, omni moto lapide, & non vnâ eliciendis aquis, adhibitâ machinâ, nulla ſcatebra, ſolo quamaltiſſimè perfoſſo, vnquam inueniretur, S. Nicolaus tunc temporis eiuſdem Conuentûs alumnus præmiſſâ ſupplicatione, iuſſit operas ſub quadam ambitûs parietina integrare foſſionem. Illæ verò quibus viri ſanctitas non latebat, admodum obſeruatè omnibus eius iuſſis ſubſeruiebant; nec porrò fruſtrà. Ecce tibi, namque geminum vno loco miraculum. Prius; quòd illa, cui ſuffodiebant, parietina, omni ſoluta fulcro, in aëre penſilis, & quaſi concamerata hæſerit: (ipſi nos eius partem puteo imminentem vidimus) poſterius; quòd operæ iſtæ inciderint eueſtigio in fontem tam aquæ largum, cui excipiendæ, neceſſum fuit & puteum cauare tantæ altitudinis, qualis me nunquam memini videre. Idem ille puteus hoc etiam ſæculo perſtat, aquarum ſalubritâte tam nobilis, vt quotidiani eas ægri bibentes, vnà ſanitatem imbibant. Nobis etiam, Dei dono, licuit tam eſſe felicibus, vt has quoque in eodem Cœnobio libauerimus.

Simili miraculo adſcribendum videtur

P. Antõ. Azeued. l. 3. Catechiſ. fid. c. 2.

quoque, quod Lymæ regiâ ciuitate contigit: vbi cùm religioſi noſtri Monaſterium quoddam primiter habitatum deſerentes, commoditatis gratiâ aliò migraſſent, & quædam matrona, antiquum illud & à noſtris pro derelicto habitum, Monialium domicilio acceptaſſet, perſenſum continuò eſt hoſpitij incommodum, potiſſimam ob aquæ inopiam, quæ noſtris etiam ſedis emutandæ anſam miniſtrarat. Pia interim matrona Deo fiſa, animumq́ue non deſpōdens, curat veteri muro, adſtrui altare, in eóque cani ſolemne Sacrum ad honorem Dei, ſanctiq́ue Nicolai de Tollentino, cui comprimis addicta erat; certâ ſpe, ſuo fauori, cælitùs miraculum aliquod præcipiēs, per illius precum interpoſitionum: & ſpem res ſecuta eſt; nam mox vbi cantum: *Ite Miſſa eſt*, ad inundationem vſq; puteus intumuit & perennes Veſtalibus latices propinauit. Hoc miraculum ſubſecutum eſt non minoris ſtuporis aliud; quòd hanc potantes, quocunque morbo detineantur, eô exoluantur, occæcatis excluſis, quorū nullus hic viſus eſt viſum recuperaſſe.

Horum autem memores beneficiorum vrbis huius ciues ſe prolixo admodum corde, D. Nicolao deuouent.

Magna Vitarum Sanctorum hiſtoria,

curâ

curâ ac ſtudio diuerſorum Doctorum recens in lucem miſſa meminit, in vitâ S. Nicolai, illum omnes quâquâ inualitudine læſos vnico S. Crucis ſignaculo recreare conſueuiſſe.

Vltimæ cuidam ſortis feminæ (teſte B. Iordano) filiola erat Ceca nomine, cuius mento grande ſuccreuerat tuber, tantos ſecum aduehens dolores, vt perdiâ inquiete pernocteque diuexaretur. Hæc hauſto, qui iam in vulgus ierat ſanctitatis S. Nicolai rumore tulit ad illum hanc ptolem, ſic aiens: Nihil ambigo, Dei famule, quin tu ſanitatis meæ filiæ aſſertor ſis futurus. Cui cum humiliter ille reſpondiſſet: non eſſe eâ fandi formulâ vtendum, ſed Deo, eius Genitrice, ac D. Auguſtino nitendum; vomicam interim crucis teſſerâ muniit, ac domum his verbis remiſit. I, vade, amica, votum tuum Numen ſecundet. Illa autem redux vix eſt domum ingreſſa, & diſcrucians ille abſceſſus à puella tam integrè abſceſſit, quaſi qui illam nunquam acceſſiſſet.

Lib. 2. vit. Fratrũ, c. 11.

Puella à S. Nicol. curatur.

Ex eodem vulgo alia, à marito duriſſimè tractata, tamque crudeliter fuſtigata, vt inter læſiones cæteras, vnius verberum violentiâ, mamillarum altera quadrifariam fiſſa ſit, D. Nicolai ope coaluit & conualuit.

B. Iord. ibidem.

Inops mulier oblæſa ſolidatur à S. Nic.

Tertia

Tertia gregariæ etiam fortunæ Margarita, ciuis Tolentina, ob terricula quædam, quibus absente viro Leonardo de Apuliâ concussa fuerat, solenter abortiebat, omnemque cuiuscuius sexus fœtum, quem vtero clausum gestabat, plerumque exanimem excludebat, nihil ad rem faciente exactissimâ solertissimâq; sui imprægnatę custodiâ. Ast vbi S. Nicolaus ardẽtissimâ eius vicem obsecratione Deum appellasset, versus ad illam, exutâ, infit, tristitate, hilaritudinem indue, viuam porrò sobolem ac sospitem enitêre. Quod augurium non fallax fuisse, mulier, paritis deinceps incolumibus semper fœtibus, experimento didicit.

Mulier frequenter abortum faciens, curatur.

B. Iord.

Quarta etiam Tollentina, tori socium habens *Magistrum Thomam*, decumbebat ex puerperio seminecis tamq; monstrosæ prolis, vt chaos potiùs, atque indigesta quædã massa, quàm ratione pollens creatura videretur; quæ etiam priùs quàm aquâ sacrâ renasci posset, denata fuerat. Parentes autem eius, & cõsobrini, supremo luctu verberati mœrebant tam animæ ter beatâ visione perpetim cassæ perniciem, quàm per infamis totâ vrbe diuulgati monstri partionem. Qui denique ad asylum S. Nicolai (nec spe decollante) perfugerunt; eius enim precũ vi, infans non solum ad vitam, sed & ad absolu-

Infans reuiuit per S. Nicol.

ſolutam perfectamque artuum ſymmetriã, ac ſoliditatem deuenit; adeò, vt ne in toto eius corpuſculo, vllum monſtruoſi partûs, alteriuſue defectûs veſtigiũ relinqueretur.

Meminit præterea Pater Oroſco alterius cuiuſpiam pauperis infantariæ; quæ poſteaquam, cum acerbiſſimis puerperij cruciatibus octo continuas horas prorſus victoriæ exſpes conflixiſſet, arceſſitis S Nicolai ſuppetijs; ſine morâ torminib⁹, vteriq; faſce leuata eſt. Alia rurſus puerpera, labella quidẽ motantẽ, cætera exſenſũ enixa puellum, lamentabatur, eum ſine baptiſmo defungi; dieſque cum noctibus flendo, eiulandoque terens, has voces frequentabat: Perij feminarum infauſtiſſima; cui infantem ab aluo ad Orcũ traijcere cõtigit! Diuus noſter huius factus certior, eò contendit querulam mulierẽ ſolatio molliturus; eique detegit, quid illi ſecundũ quietẽ lapsâ nocte contigiſſet. Auſculta, inquit, amica. Cùm hac nocte dormitũ conceſſiſſem, ſemi-que-ſopitus cubarẽ; animula tui infãtuli irrepſit in manus meas, grandi lemurum glomo ſepta muſſitantium inter ſe, iuris hanc eorum eſſe, quòd necdum aquis ſalutiferis perluta, mortem obiiſſet. Ego autem non minimâ miſeratione motus, etſi in me præter infirmitates, quibus affluo, agnoſcam nihil;

Chron. Ord. vitâ S. Nicol.

B. Iord. l. 2. vita Fr. c. 11.

Pumilus Inferno eripitur per S. Nicol.

Deum

Deum tamen pro illâ (quippe quæ meis, à quo opem venari videretur, manibus illabebatur) rogitaui, vt dignaretur Angelorum quempiam supernè emandare, qui illam è faucibus inferis vindicaturus, admaturaret; & ecce præsto adfuit repentinò vnus, animulamque meis digitis euulsam, cælo inuexit. Tu igitur dedolens, agè, lachrymas in gaudium verte.

Hoc autem miraculi, caue mortalium quisquam ex te audiat, donec ego superauero. Hæc illa mulier est; quæ (vt suprà dictum) D. Nicolai iam sepulchro condendi plantas subluit, mirandorum per hanc aquam, Diuique merita effectuum præsagio.

B. Iord. ibidem. Quidam seipso desperatus, & laqueatus à S. Nic. præpeditur.

Homini cuidam fœdis sceleribus contaminato qui spe abscissâ, laqueo se (miserũ!) consumpserat, Tollentinus (cui misellus hic aliquatenus deuotus fuerat) se præsentem exhibet, eiusque crura elata sustentat, quoad quispiam, qui eum laxaret, aduentasset.

Pusionem in molæ rotam abreptum; eaq; diruptum, Diuus Nicolaus matri miserabiliter illi ploranti, miseratione perfactus, saluum solidumque reddidit.

Hispali in Hispania, Herois quædam, Tollentinatis amore, infantulum suum tunicel-

nicellâ ad habitum Ordinis noſtri conformata veſtiebat, fidens; Deum illi idcirco ſuâ benedictione felicitaturum, & infortunia quæque ab illo auerſurum. Quod equidem poſtea magno voluptatis cumulo perſenſit; nam idem ille pumilio, in puteum, S. Luciæ nuncupatum, præceps datus, tantoque tempore inibi moratus, vt non niſi miraculo queat adſcribi quod aquis hauſtus non ſit, interpellatione S. Nicolai perinteger eductus eſt. *P. Antõ. Azeued. Catech. miſt. fid.*

Conſentaneum eſt, quod tempore, ac ciuitate ijſdem euenit alteri in ictu mortis infantulo. Quem videns mater haud procul abeſſe ab exceſſu, nuſquam niſi ad Deũ habens confugium, filij apud illum ſalutem ſolicitabat per interpoſitas Diui Nicolai (cuius in ſinum ſuas omni die querimonias egerebat) preces, nec euanido pol euẽtu. Mirificus enim ille vir puero in ipſo vitæ abrumpendæ articulo, copiam fecit videndi ſui, candelam ardentem gerentis; quam manibus eius inſeruit, & in valetudinem aſſeruit. Quod poſteà ipſiuſmet infantis teſtimonio, propalatum fuit. Nam cùm parens pro recepto beneficio, Deo & S. Nicolao grates dictura templum ſubiiſſet, adducto ſecum infantulo monaſtica illâ tunicellâ & Tolentinatis conformi te- *Accidit an. 1581.* *Idem qui ſuprà.*

 cto,

cto, ſimul vt ocellis eius ſubiecta eſt ſibi æqualis imago, digitum illuc protendens, *Ecce*, clamat, *mater, hic ille reuera religioſus qui meis moribundi manibus candelam infixit.*

P. Alphonſus in Chrō. Homo quidam tenuis, & manuarius operarius tam grauiter in ligni cæſione ſauciatus, vt medicorum cenſurâ nihil illi remedio, præter ſectionem, eſſe poſſet; abſq; eâ, ſolà D. Nicolai interlocutione, reſartus eſt.

Relatu boni cuiuſdam Patris qui miraculum è ſacro pulpito & ore Patris Claud. Sercelier S T. D. accepit. Rhemis ab hinc annis pluſculis ædificium quoddam inopino caſu in aceruum verſum eſt, viâ Barbateâ, haud procul ab Aſceterio Auguſtiniano, ſubq; eo pauperculus quidam repertus eſt textor, in iiſdem ædibus operi forte dum conciderct, intentus. Poſt binos, ternóſue dies, cum ad elapidandam ruinam, eruderandamq; ventum eſſet, apparuit inter rudera homullus hic ſcreans, & opem, opem ingeminans, alioqui valens, & illæſus. Requiſitus autem, quâ ratione invulneratus permanſiſſet, Dei, reſpondit, & S. Nicolai, quem aduocaui, munere. Quod miraculum, incredibile memoratu, quantâ pernicitate, fama totis Rhemis diſſeuerit.

Relatione ſeniorum PP. noſtri Monaſt. In Cœnobio noſtro Tornacenſi ſolet exiſtere iliguea quædam virum vnum ſcapulis, duos alios ſingulis palmis ferens ſtatua, ſcul-

ſculpta huius Diui honori; qui præſentiâ ſuâ lætificans tres ad ſupplicium vadentes furciferos, ab eo omnes reduxit. Fuêre è grandæuioribus noſtris (vt haud dubiè ciuium plurimi) qui hanc iconem oculis cõtrectarunt; aſt hæretici miraculi huius odio ab hinc annis ſex & ſeptuaginta, bacchante in Belgio iconomachiâ, Eccleſiam noſtram irrumpentes, pyrâ in eius veſtibulo excitatâ, ſupellectilem omnem librariam, organa, tabulam Altaris faberrimè elaboratam, & hanc denique cum ceteris Chriſti Saluatoris, Deiparę, Sanctorum omnium imaginibus, flammis aboleuêre.

Icon miraculis clarēs ab iconoclaſtis uritur.

Gregalis quidam viator de Monte rotundo per ſiluas carpens iter incidit in ſubſeſſores, & quamuis demiſſiſſimè per honorem Dei, & S. Nicolai, parci ſibi ſupplicaret, ſurdis tamen canebat. Nam interſtrictâ eius gulâ præcipitarunt in voraginem ſulphuratas aquas ebullientem, in quâ iacuit diebus octo inconſumptus. D. Nicolaus de hâc tam efferâ cæde factus certior, eò ſe proripit, & interempto præcipit, in nomine Domini corpus humo vt alleuet; paret nihil moratus mortuus, & ad arcem vnde vênerat cum illo reuertit, præſentibus omnibus in admirationem, applauſumque traductis.

squalidâ se & hirsutâ molestans tunicâ; sub quâ, ferreâ nudum corpus catenâ coarctabat. Nihil tamen illum morante hâc victûs aspredine, cibatusque parsimoniâ, eò humilitatis redactus est, vt subuereretur vsque, ne sua non ad Dei gustum fortassis essent opera. Verùm Deus hunc illi scrupulum adimere, quamque ea sibi arriderent aperire, volens, stitit se illi, sic locutus: *Sine curâ te esse iubeo, Nicolae. tuis enim in operibus atque exercitiis acquiesco.* Quo affatu animo illi addito, eadem deinceps gnauiter perpetuauit.

Ex Offic. ord. Eremitici August. in vita S. Nicol.

CAPVT XX.

Miraculorum plaustra S. Nicolaum euehunt.

NOn est mens, in hunc locum congerere miracula omnia, quæ per S. Nicolaũ edere dignatus est Deus; ne Iliade longior fiat narratus (Beatus enim Iordanus fatetur se volumen integrum iis confercisse, quod tamen hactenus oculos nostros fugit) ast lectiora quædam dumtaxat, & quæ præ cæteris principem merentur locum hîc expediemus.

Vita Fr. l 2. c. 11.

Aquæ penuriâ Conuentus noster Tollentinus, quòd tam ille, quàm oppidum lo-

Aqua miromodo inuẽta per S. Nicol.

loco ſatis edito & quaſi in rupe ſita ſint, lõgo tempore, laborarat. Cùm igitur ſatagente Priore, omni moto lapide, & non vnâ eliciendis aquis, adhibitâ machinâ, nulla ſcatebra, ſolo quamaltiſſimè perfoſſo, vnquam inueniretur, S. Nicolaus tunc temporis eiuſdem Conuentûs alumnus præmiſsâ ſupplicatione, iuſſit operas ſub quadam ambitûs parietina integrare foſſionem. Illæ verò quibus viri ſanctitas non latebat, admodum obſeruatè omnibus eius iuſſis ſubſeruiebant; nec porrò fruſtrà. Ecce tibi, namque geminum vno loco miraculum. Prius; quòd illa, cui ſuffodiebant, parietina, omni ſoluta fulcro, in aëre penſilis, & quaſi concamerata hæſerit: (ipſi nos eius partem puteo imminentem vidimus) poſterius; quòd operæ iſtæ inciderint eueſtigio in fontem tam aquæ largum, cui excipiendæ, neceſſum fuit & puteum cauare tantæ altitudinis, qualis me nunquam memini videre. Idem ille puteus hoc etiam ſæculo perſtat, aquarum ſalubritàte tam nobilis, vt quotidiani eas ægri bibentes, vnà ſanitatem imbibant. Nobis etiam, Dei dono, licuit tam eſſe felicibus, vt has quoque in eodem Cœnobio libauerimus.

Simili miraculo adſcribendum videtur

P. Antō. Azeued. l. 3. Catechis. fid. c. 2.

quoque, quod Lymæ regiâ ciuitate contigit: vbi cùm religiosi nostri Monasterium quoddam primiter habitatum deserentes, commoditatis gratiâ aliò migrassent, & quædam matrona, antiquum illud & à nostris pro derelicto habitum, Monialium domicilio acceptasset, persensum continuò est hospitij incommodum, potissimam ob aquæ inopiam, quæ nostris etiam sedis emutandæ ansam ministrarat. Pia interim matrona Deo fisa, animumque non despōdens, curat veteri muro, adstrui altare, in eoque cani solemne Sacrum ad honorem Dei, sanctique Nicolai de Tollentino, cui comprimis addicta erat; certâ spe, suo fauori, cælitùs miraculum aliquod præcipiēs, per illius precum interpositionum: & spem res secuta est; nam mox vbi cantum: *Ite Missa est*, ad inundationem vsq; puteus intumuit & perennes Vestalibus latices propinauit. Hoc miraculum subsecutum est non minoris stuporis aliud; quòd hanc potantes, quocunque morbo detineantur, eô exoluantur, occæcatis exclusis, quorū nullus hic visus est visum recuperasse.

Horum autem memores beneficiorum vrbis huius ciues se prolixo admodum corde, D. Nicolao deuouent.

Magna Vitarum Sanctorum historia, curâ

curâ ac ſtudio diuerſorum Doctorum recens in lucem miſſa meminit, in vitâ S. Nicolai, illum omnes quâquâ inualitudine læſos vnico S. Crucis ſignaculo recreare conſueuiſſe.

Vltimæ cuidam ſortis feminæ (teſte B. Iordano) filiola erat Ceca nomine, cuius mento grande ſuccreuerat tuber, tantos ſecum aduehens dolores, vt perdiâ inquiete pernocteque diuexaretur. Hæc hauſto, qui iam in vulgus ierat ſanctitatis S. Nicolai rumore tulit ad illum hanc ptolem, ſic aiens: Nihil ambigo, Dei famule, quin tu ſanitatis meæ filiæ aſſertor ſis futurus. Cui cum humiliter ille reſpondiſſet: non eſſe eâ fandi formulâ vtendum, ſed Deo, eius Genitrice, ac D. Auguſtino nitendum; vomicam interim crucis teſſerâ muniit, ac domum his verbis remiſit. I, vade, amica, votum tuum Numen ſecundet. Illa autem redux vix eſt domum ingreſſa, & diſcrucians ille abſceſſus à puella tam integrè abſceſſit, quaſi qui illam nunquam acceſſiſſet.

Lib. 2. vit. Fratrũ, c. 11.

Puella à S. Nicol. curatur.

Ex eodem vulgo alia, à marito duriſſimè tractata, tamque crudeliter fuſtigata, vt inter læſiones cæteras, vnius verberum violentiâ, mamillarum altera quadrifariam fiſſa ſit, D. Nicolai ope coaluit & conualuit.

B. Iord. ibidem.

Inops mulier oblæſa ſolidatur à S. Nic.

Tertia

Mulier frequenter abortum faciens, curatur.

Tertia gregariæ etiam fortunæ Margarita, ciuis Tolentina, ob terricula quædam, quibus absente viro Leonardo de Apuliâ concussa fuerat, solenter abortiebat, omnemque cuiuscuius sexus fœtum, quem vtero clausum gestabat, plerumque exanimem excludebat, nihil ad rem faciente exactissimâ solertissimáq; sui impraegnatę custodiâ. Ast vbi S. Nicolaus ardẽtissimâ eius vicem obsecratione Deum appellasset, versus ad illam, exutâ, infit, tristitate, hilaritudinem induc, viuam porrò sobolem ac sospitem enitêre. Quod augurium non fallax fuisse, mulier, partitis deinceps incolumibus semper fœtibus, experimento didicit.

B. Iord.

Quarta etiam Tollentina, tori socium habens *Magistrum Thomam,* decumbebat ex puerperio seminecis tamq; monstrosæ prolis, vt chaos potiùs, atque indigesta quædã massa, quàm ratione pollens creatura videretur; quæ etiam priùs quàm aquâ sacrâ renasci posset, denata fuerat. Parentes autem eius, & cõsobrini, supremo luctu verberati mœrebant tam animæ ter beatâ visione perpetim cassæ perniciem, quàm per infamis totâ vrbe diuulgati monstri partionem. Qui denique ad asylum S. Nicolai (nec spe decollante) perfugerunt; eius enim precũ vi, infans non solum ad vitam, sed & ad absolu-

Infans reuiuit per S. Nicol.

ſolutam perfectamque artuum ſymmetriã, ac ſoliditatem deuenit; adeò, vt ne in toto eius corpuſculo, vllum monſtruoſi partûs, alteriuſue defectûs veſtigiũ relinqueretur.

Meminit præterea Pater Oroſco alterius cuiuſpiam pauperis infantariæ; quæ poſteaquam, cum acerbiſſimis puerperij cruciatibus octo continuas horas prorſus victoriæ exſpes conflixiſſet, arceſſitis S Nicolai ſuppetijs; ſine morâ tormínib⁹, vteriq; faſce leuata eſt. Alia rurſus puerpera, labella quidẽ morantẽ, cætera exſenſũ enixa puellum, lamentabatur, cum ſine baptiſmo defungi; dieſque cum noctibus flendo, eiulandoque terens, has voces frequentabat: Perij feminarum infauſtiſſima; cui infantem ab aluo ad Orcũ traijcere cõtigit! Diuus noſter huius factus certior, eò contendit querulam mulierẽ ſolatio molliturus; eique detegit, quid illi ſecundũ quietẽ lapsâ nocte contigiſſet. Auſculta, inquit, amica. Cùm hac nocte dormitũ conceſſiſſem, ſemi-que-ſopitus cubarẽ; animula tui infãtuli irrepſit in manus meas, grandi lemurum glomo ſepta muſſitantium inter ſe, iuris hanc eorum eſſe, quòd necdum aquis ſalutiferis perluta, mortem obiiſſet. Ego autem non minimâ miſeratione motus, etſi in me præter infirmitates, quibus affluo, agnoſcam nihil; Deum

Chron. Ord. vitâ S. Nicol.

B. Iord. l. 2. vita Fr. c. 11.

Pumilus inferno eripitur per S. Nicol.

Deum tamen pro illâ (quippe quæ meis, à quo opem venari videretur, manibus illabebatur) rogitaui, vt dignaretur Angelorum quempiam supernè emandare, qui illam è faucibus inferis vindicaturus, admaturaret; & ecce præsto adfuit repentinò vnus, animulamque meis digitis euulsam, cælo inuexit. Tu igitur dedolens, agè, lachrymas in gaudium verte.

Hoc autem miraculi, caue mortalium quisquam ex te audiat, donec ego superauero. Hæc illa mulier est; quæ (vt suprà dictum) D. Nicolai iam sepulchro condendi plantas subluit, mirandorum per hanc aquam, Diuique merita effectuum præsagio.

B. Iord. ibidem. Quidam seipso desperatus, & laqueatus à S. Nic. præpeditur.

Homini cuidam fœdis sceleribus contaminato qui spe abscissâ, laqueo se (miserũ!) consumpserat, Tollentinus (cui misellus hic aliquatenus deuotus fuerat) se præsentem exhibet, eiusque crura elata sustentat, quoad quispiam, qui eum laxaret, aduentasset.

Pusionem in molæ rotam abreptum; eaq; diruptum, Diuus Nicolaus matri miserabiliter illi opploranti, miseratione persractus, saluum solidumque reddidit.

Hispali in Hispania, Herois quædam, Tollentinatis amore, infantulum suum tunicel-

nicellâ ad habitum Ordinis noſtri conformata veſtiebat, fidens; Deum illi idcirco ſuâ benedictione felicitaturum, & infortunia quæque ab illo auerſurum. Quod equidem poſtea magno voluptatis cumulo perſenſit; nam idem ille pumilio, in puteum, S. Luciæ nuncupatum, præceps datus, tantoque tempore inibi moratus, vt non niſi miraculo queat adſcribi quod aquis hauſtus non ſit, interpellatione S. Nicolai perinteger eductus eſt. *P. Antō. Azeued. Catech. miſt. fid.*

Conſentaneum eſt, quod tempore, ac ciuitate ijſdem euenit alteri in ictu mortis infantulo. Quem videns mater haud procul abeſſe ab exceſſu, nuſquam niſi ad Deū habens confugium, filij apud illum ſalutem ſolicitabat per interpoſitas Diui Nicolai (cuius in ſinum ſuas omni die querimonias egerebat) preces, nec euanido pol euētu. Mirificus enim ille vir puero in ipſo vitæ abrumpendæ articulo, copiam fecit videndi ſui, candelam ardentem gerentis; quam manibus eius inſeruit, & in valetudinem aſſeruit. Quod poſteà ipſiuſmet infantis teſtimonio, propalatum fuit. Nam cùm parens pro recepto beneficio, Deo & S. Nicolao grates dictura templum ſubiiſſet, adducto ſecum infantulo monaſticâ illâ tunicellâ & Tolentinatis conformi te- *Accidit an. 1581.* *Idem qui ſuprà.*

cto, simul vt ocellis eius subiecta est sibi æqualis imago, digitum illuc protendens, *Ecce*, clamat, *mater, hic ille reuera religiosus qui meis moribundi manibus candelam infixit.*

P. Alphonsus in Chrõ. Homo quidam tenuis, & manuarius operarius tam grauiter in ligni cæsione sauciatus, vt medicorum censurâ nihil illi remedio, præter sectionem, esse posset; absq; eâ, solâ D. Nicolai interlocutione, resartus est.

Relatu boni cuiusdam Patris qui miraculum è sacro pulpito & ore Patris Claud. Sercelier S T.D. accepit. Rhemis ab hinc annis plusculis ædificium quoddam inopino casu in aceruum versum est, viâ Barbateâ, haud procul ab Ascerterio Augustiniano, subq; eo pauperculus quidam repertus est textor, in iisdem ædibus operi forte dum concideret, intentus. Post binos, ternósue dies, cum ad elapidandam ruinam, eruderandamq́ue ventum esset, apparuit inter rudera homullus hic screans, & opem, opem ingeminans, alioqui valens, & illæsus. Requisitus autem, quâ ratione inuulneratus permansisset, Dei, respondit, & S. Nicolai, quem aduocaui, munere. Quod miraculum, incredibile memoratu, quantâ pernicitate, fama totis Rhemis disseuerit.

Relatione seniorum PP. nostri Monast. In Cœnobio nostro Tornacensi solet existere iliginea quædam virum vnum scapulis, duos alios singulis palmis ferens statua, scul-

ſculpta huius Diui honori; qui præſentiâ ſuâ lætificans tres ad ſupplicium vadentes furciferos, ab eo omnes reduxit. Fuêre è grandæuioribus noſtris (vt haud dubiè ciuium plurimi) qui hanc iconem oculis cõtrectarunt; aſt hæretici miraculi huius odio ab hinc annis ſex & ſeptuaginta, bacchante in Belgio iconomachiâ, Eccleſiam noſtram irrumpentes, pyrâ in eius veſtibulo excitatâ, ſupellectilem omnem librariam, organa, tabulam Altaris faberrimè elaboratam, & hanc denique cum ceteris Chriſti Saluatoris, Deiparę, Sanctorum omnium imaginibus, flammis aboleuêre.

Icon miraculis clarẽs ab iconoclaſtis vritur.

Gregalis quidam viator de Monte rotundo per ſiluas carpens iter incidit in ſubſeſſores, & quamuis demiſſiſſimè per honorem Dei, & S. Nicolai, parci ſibi ſupplicaret, ſurdis tamen canebat. Nam interſtrictâ eius gulâ præcipitarunt in voraginem ſulphuratas aquas ebullientem, in quâ iacuit diebus octo inconſumptus. D. Nicolaus de hâc tam efferâ cæde factus certior, eò ſe proripit, & interempto præcipit, in nomine Domini corpus humo vt alleuet; paret nihil moratus mortuus, & ad arcem vnde vdnerat cum illo reuertit, præſentibus omnibus in admirationem, applauſumque traductis.

Hoc autem miraculo celerrimis rumoribus dissipato; vir, cognito, se D. Nicolai adiutamento fatis subtractum, testamentum condidit, animæ sarcinam in sinum sacerdotis abiecit, SS. Eucharistiæ, & extremi vnguinis Sacramentis delibutus, in Dei ac D. Nicolai laudibus denuò exspirauit.

Alphons. Orosco Chron. Ord in vitâ S. Nicol. Ciues Amiliani, hostilibus cuneis arctè pressèque circumuallati, cùm manus eorum incidere formidarent, nec humana vlla opitulatio præ foribus esset, ad diuinam per internuntias Tollentinatis obsecrationes, quibus & suas, & pietatis alia exercitia annectebant, diuerterunt. Nec operam lusere. Pauculis enim post diebus, prodiit in vallo vrbis D. Nicolaus, vnica cuius præsentia tantum hosti horroris incussit, vt obsidionem quam mox soluerit, & vrbe vrbanisque intactis in fugam se coniecerit.

B Iord. l. 2 vit. Fr. c. 11. Parium miraculorum tam immodicus fuit, vt iis describendis calamus succumbat. Amplius vicenos mortuos, varijs vicibus, vitâ; ergastulos plus mille libertate donauit: à procellis, fluctibus, infortunijs, imminentibus exitijs, hominum myrmecia defendit; vsqueadeò vt persolus ille videatur esse, per quem libitum Deo fuit, spatiosissimæ potentiæ suæ, & operum præcipuæ admirationis vulgare specimen: vt repete-

re fas ſit; quod,quanquam ſit *in omnibus ſanctis mirabilis*, id ſe tamen quàm efficaciſſimo indicio protrahere in perſonâ S.Nicolai.

Cæterùm priuſquam huic capiti colophonem addo , ſilentio prætereunda non ſunt tria ſingularis notæ miracula quæ Apotheoſi eius,decorem non ignobilem addidêre. Quorum primum eſt, quód eâdem die, quâ B.Nicolaus beatorum cenſui adiectus,ab Eugenio IV. poſtridie eius diei, qui cælitus lapſo diuino flamini ſacer eſt, inexſpectatū Papienſium oculis conſpectum ſui obtulerit , ergaſtuliq́ue valuis, & compeditorum catenis effractis, captiuitatem omnem manumiſerit: hoc quaſi beneficio Patris ſui Auguſtini illic requieſcentis domicilium honorare volens atque adornare. Cuius rei memoriam gratis animis Patauini pictoris manu excerptam portis vrbicis inſcribi curarunt. Alterum eſt; quod Armeni, Indiq́ue iam olim à fideliū Chriſtianorum vnione diſparati, tunc temporis in amicam ſocietatem coëuntes, ſinui S.M.E. ſint adgregati.

Succedit tertium,quòd Romana Eccleſia tunc temporis per annos plus quinquaginta ſchiſmatum diſſidiis &pertinaci Græcorum rebellio miſerabiliter preſſa , eraſis erroribus,& ſchiſmatum ſatoribus ſub iu-

gum Cathedræ Apoſtolicæ ductis, inexſpe-
ctatâ pace tranquillata fuit. Quam ob rem gaudio exultans Eugenius & intelligens, exoptatã hanc malaciã à Diui Nicolai meritis tractam eſſe, cõtextam his verbis Collectam (inſerta Romano Breuiario vſurpatur feſto eius die ab omni Eccleſia) illi accinuit.

Ex Breu. Rom. 10. Septem.

Concede quæſumus omnipotens Deus, vt Eccleſia tua, quæ B. Nicolai Confeſſoris tui virtutum & miraculorum gloriâ coruſcat: eius interceſſione ac meritis, perpetuâ pace, atque vnitate lætetur. Per Dominum &c.

Quâ non inutile foret in accîſo Eccleſiæ ſtatu, Deum perfrequenter appellare.

Capvt XXI.

Indulta D. Nicolao animas expiatoriis rogis eximendi facultas.

B. Iord. l. 2. vit. Er. c. 18.

SAcerrimus hic Pater, dum incolatui ſuo adſignatum eſſet anguſtioris ſtructuræ Monaſteriolum, prope Peizerum (reor Hiſtoriam Sanctorum Piſam velle, Hetruriæ vrbem, loco de *Peizer* in Marchia Anconitana, ſitam) *Vallimane* nuncupatum, ſingulariæ pietatis argumentis Sacra peragebat indies, vbi primùm diluculabat.

Cùm verò obtigissent illi aliquando vices Hebdomadarij (vt vocamus) Sacrique Conuentualis per septimanam non interruptè perficiendi, præuiâ nocte inter quietem huiuscemodi vox animæ cuiuspiam ad eius aures accidit; Fr. Nicolae, deliciū cæli, me oculis, sodes, annota: anima sum F. Peregrini d'Auximo, quē mortali adhuc corpore vtentem, domesticè nosti; dilanior in præsens per flammarum nutrimēta, pœnis quidem temporarijs, ast creditu atrocissimis: qua-te propter etiam atq; etiam rogò, vt ne graueris incruentum pro me Deo sacrificiū, quò his submouear cruciaminibus offerre. Cui ille: Te, mi Frater, mundi salus Christus Iesus, quo redemptus es, adiutet sanguine: mihi etenim per Missam Cōuentualem meis vicibus hac hebdomade incumbentem non est integrū pro Defunctis rem facere diuinam hoc potissimū Dominico die. Rursus anima. Ades modò Venerande Pater, & videsis, vacuâne aure an opilatâ tibi capiendæ sint, tam cōfertæ multitudinis, quæ me opis tuæ procandæ gratiâ emandauit, clamitationes: & simul abducens illum è Monastico illo (vt sic vocem) ligello (locum vidimus, & sacro Missæ officio á nostri Ordinis incolis Musico cōcentu die Pentecostes an. 1602. persoluto in-

Densus animarū aceruus precibus S. Nicol. purgatorio subtrahitur.

interfuimus) latè patentem aream præfato oppido Pezer conterminam conſpiſſatâ omnis generis hominum collectâ refertam, retexit; & hîc illa rurſus: Miſereſcat, oro, te tam denſæ cohortis tua præſidia pronis mentibus ſuſpirantis, ſpemque certam animo præſumentis hinc magnâ ex parte elabendi, ſi tu modò ad diuina pro illis myſteria manus fueris admolitus. Per hæc S. Nicolaus è ſomno excuſſus, ac ſympathiâ percuſſus, celeri ad Priorem accurſu properans, ſuppliciter orat ſuam in choro vicem alteri delegari, ſibi autem permitti, vt totâ illâ vertente hebdomade functorum ſaluti ſacrificare liceat. Quo obtento, & poſtulato officio confecto, poſt octiduum rurſus illi oborta Fratris Peregrini anima eſt, cum gratiarum actione, quòd cæleſtis Numinis miſericordiâ, & ter maximo Sacrificio, cum pleriſque pœnarum conſortibus, tormentis euulſa eſſet: ſe cum iiſdem iam recto gradu ſuperas ad arces tranſmeare.

S. Nicol. fraternã animam purgantibus ignibꝰ eruit.

Commorans aliàs in Monaſterio Recanenſi (abeſt à Laureto tertiò quartòue lapide) & certior redditus germanum fratrem ab extorribus ſicarijs obtruncatum, ſubuerens ne fortè anima eius aliquibus implicata ſupplicijs excoqueretur, decem & quinque dies perpetuos, obſecrationibus,

bus, myſticiſque libaminibus cælos onerauit. Cùm autem non ita multò poſt, ante ter Venerabile Sacramentum lampadi accendendæ intentus ſtaret, adſtititen illi fratris anima, habens grates, quòd precationum illius adiutorio expiantes focos exiliiſſet. Porrò, quàm liquidum, teſtatumq; cæleſtiſſimorum eius operum effulgentiſſimæ vitæ, effuſiſſimæque in pertractandis diuinis myſterijs pietatis, indicina eſt, ſtella illa, quę prælucere illi viſa eſt creberrimè, præireque vſque ad aram ſacello confinem in quo ſolens ſuo more precibus inuigilabat. Subſiſtit hæc ædicula hâc adhuc tempeſtate, eſtque fidiſſima ſanctiſſimorum eius oſſium modò cuſtos; in quâ mihi datum eſt anno 1602. nonis Iunijs diuinis operari.

Stella S. Nicol. dux ad aram Missæ celebrãdæ gratiâ eũti.

CAPVT XXII.

Diabolicæ techna D. Nicolao ſtructa, & ab eo deſtructa.

Exquiſita Viri ſanctitas & virtus, tam erat exoſa hæreditario Mundi hoſti, vt, ad deterrendum illum à propoſito, ſtamen bonorum operum abſecandum, vltionemque ſui contemptus exigendam,

mille technas ſutelaſque commolitus ſit.

Cùm die quodam interpolatione tunicæ ſuæ diſtineretur, applicans ſe illi Satan clanculò ſublegit vnùm è grandioribus fruſtis, & ille, vbi periiſſet neſcius, ſecum muſſitans dicebat: Vah, quis ille, qui me ſic deludificatus eſt? Pol; quiſquis fuerit, nimiæ prauitatis merito, nominari non meretur. Cui Dæmon horrificum in modum: Ita ſanè eſt, inquit, ego is ſum, qui in deſpectum tui hoc facinus feci. Næ, vlteriùs te adunco naſo ſuſpenſurus. Alios mihi aſtus, & vafrámenta conquiram, quandoquidem hac viâ perparum proficio. Hîc obſtupefactus noſter, Quis vero tu? Ille; Belial ſum, qui te belle vt exerceam tuamque pericliter ſanctimoniam, à Deo ſublegatus adueni. Ad hæc Tollentinas: ſe Dei perfultum præſidio minas eius nauci pendere. Per hæc obmuteſcens diabolus, in auras vanuit. Cæterùm acerrimis illum quouis tempore, quouis loco, quâ datâ cunque occaſione, ſupplicationum comprimis, & cælicorum muniorum momentis, exagitabat.

Variè S. Nicol. inſultat Dæmon.

Vnâ noctium in ſacello ſuo cùm orando excubaret, adfuit iterum Veterator ille, & penſilem præ Ven. Sacram. lychnum extinguit, furibundo impete ſolo allidit, diſfrin-

Diabolꝰ efflat lãpadem templi vt S. Ni-

stringitque, quo Dei seruum perterrefaciat, aut, vt minimum, interturbet, aut precario per has artes fructu spoliet. Ast sentiens eius nihilominus vigilias orandique studium acriùs intendi, tectum conscendit, illudque à fastigio ad fundum adeò conquassat, vt frondium instar attremeret, & insimul leonis, tigridis, aliarum ferarum rugitus, mugitus, screatus & vlulatus imitatur. Tandem cùm Nicolaus his non magis quàm scopulus emoueretur, sed erectiori semper spiritu in Deum ferretur, ipsum sacellum insilit, hominemque furenter prehensum fustuario tam sæuiter pertundit, vt longo deinceps tempore liuores ac cicatrices toto corpore sparsos tulerit.

colaum à precibus auocet.

Diabol9 scandit sacelli culmen vt S. Nicol. percellat.

Aliàs cùm se cubitu leuasset ante religiosûm reliquos, se ad Matutinam psalmodiam comparaturus, & quia iusto temporiùs exscenderat, templum, foribus necdum reseratis imperuium offendebat, ad Triclinium siue Refectorium, more suo, secessit, ante pendentis è cruce depictã Christi in pariete imaginem precaturus, in cuius limine diabolus illi ex obuio factus arreptum illum tam furialiter ad terram strauit, vt admodum diu post hanc luctam respirandi facultate captus manserit.

Diabol9 fustibus deartuat S. Nicol.

Dein recollecto halitu, rursus ad iconẽ

Christi trabis appendicis iturientem diabolus tot pugnis ac sudibus crudeliter impetiuit, vt secundò telluri attritum, deartuatum, ac semianimum reliquerit. Sed refotis iterum artubus, regustatoque cælitus mollimento regredi coactus fuit. Cumque abdidisset se in quendam Monastici peristylij angulum, iteratâ & auctiore in eundem violentiâ facit impetum; tertioq; iam solo appressum tot flagris dedolauit, vt exin toto quod vitæ superfuit tempore claudus ac mutilus permanserit. Porrò conuoti fratres perterricrepo hoc fragore grabatulis exciti accursitantes, humo taliter adstratum, exossem, elumbemque ad cubiculum refocillandi causâ gesserunt. Hodierni istius Cœnobij alumni deduxerunt nos ad eundem locum, cui hodieque ambitui veteri nomen est: vbi cernere est iconem viuam & naturalem D. Nicolai effigiem referentem.

Creberrimis subactũ plagis Nicolaũ diabolus claudum reddidit.

Quãquam autem Superûm permissu, ad omnem dæmonum contumeliam proiectus esset, summam nihilominus in eosdẽ tam viuus, quàm extinctus indeptauit auctoritatem. Fuit Arimini (vnicum exemplum sit omnium instar) asceta quidam, cui à Satanicis infestationibus nullæ vnquam erant feriæ: Quem dum quâdam die in

Alphon. Orosco chron. ord. vit. S. Nicol.

in faſtigium templi, non ſine maximo illius & ſpectantium horrore retuliſſet, in auxilium vocatus S. Nicolaus, haud cunctanter in aëre ſpectabilis adfuit, fugatoque impuro impoſtore, aſcetam doloris pœnæque expertem humi collocauit.

CAPVT XXIII.

Virtus quam omni æuo Deus panibus ſacratis indidit: iis comprimis quos S. Nicolaus ſacrauit, erogauitq́; Item iis, qui hoc ſæculo Dei, ac D. Nicolai nominum interpoſitione, ſacrantur.

IN ordine noſtro diuturnâ vſurpatione firmata conſuetudo eſt, ſolemni aliquâ benedictionis formulâ, ſub inuocatione diuini nominis, ac S. Nicolai (quod fit in propatulo & Eccleſiâ, 4. Idus Septembres, huic Diuo dicatas) ſacrare panes. Quoniam ergo quotidianis hactenus experimentis exploratum fuit: Deum vi panis huius, infinita, quæ ſtuporem pariant, operatum fuiſſe, inſtitutionis eius complicatam notionem breuiter euoluemus.

Hoc autem, vt captu procliuius fiat, notandum eſt; omni ſæculo ſacrationem panum

panum in celebri vſu fuiſſe Catholicæ Eccleſiæ. Mutuati ſumus hanc praxin ab ipſo ſalutis noſtræ vindice, qui (publicis
Matt.14 Matthæo & Lucâ teſtibus) intendens mul-
Luc.9. tiplicare quinque vægrandes panes, quibus hominum totidem millia (in hanc rationē non tractâ mulierum & infantium turmâ) exſatiarentur: *aſpicens in cœlum benedixit*, Deū precatus, *illis panibus*. Et in Leuitico à Moyſe præceptum erat, menſæ quotdiebus duodecim panes imponi coram Deo, *Panes propoſitionis nuncupatos*. Panibus autem illis adhibebatur deſignatus quidam initiandi ri-
Leu.24. vers.7. tus. Edicit enim: *Pones ſuper eos thus lucidiſſimum*. In primæuâ quoque Eccleſiâ obuij erant ſacri panes ad Catechumenorum vſum, necdum baptiſmo terſorum, quibus interim fruebantur, dum perceptioni Euchariſticæ habiles redderentur. Hoc eſt B.P.N. Auguſtini documentum: *Quod* (in-
Aug. l.2 de pecc. merit. c.26. quientis) *accipiunt Catechumeni, quamuis non ſit corpus Chriſti ſanctum eſt tamen, & ſanctius quam cibi quibus alimur*. Ob ſanctitatem nimirum à benedictione promanantem. Et huic ſententiæ fulcrum ſubſtruit Apoſtolicum: *Verùm & ipſos cibos, quibus ad neceſſitatem ſuſtentandæ huius vitæ alimur, ſanctificari idem Apoſtolus dixit per verbum Dei & ora-*

orationem,&c. Eiuſdem panis meminit epiſtola Paulini & Theraſes ad S. Alipium Epiſcopum: & quædam alia ad S. Romagnanum; vt videre licet epiſtolâ 35. & 36. inter epiſtolas S. P. Auguſtini.

Tertium Concilium Africanum, *Placuit* inquit, *vt per ſolemniſſimos Paſchales dies ſacramentum Catechumenis non detur, niſi tantùm ſal, & panis benedictus.* Hæc ſacrandorum panum cæremonia eſt inuecta in Eccleſiam Redemptoris noſtri quinque panibus in eremo, (vt ſuprà memoratum) benedicentis exemplo; & idipſum ab hinc annis prope trecentis & vndecim præcepto Melchiadis, qui paulo ante natum Auguſtinum Pontificâ dignitate floruit, conſtabiliuit.

Hic ſtatuit ex populi oblatione ſacrari panes, qui in amicitiæ & communionis teſſeram diſpertiebantur, vt ſcitè annotauit Reu. Pater Ioannes à Glano noſter, adiutus ratione Durandi; quòd videlicet, cùm eâ ætate, triſti pietatis algu obrepente, ſenſim frigeſceret affectus in ter Max. Sacramentum (quo primiter Chriſtiani quot-otidiuis reficiebantur) vt ſe illo non niſi perrarò reficerent, idcirco ſacri panes quouis Dominico die diuidebantur: vt ſic vel *Hiſtor. Pontif. vitâ S. Melchia.*

vmbrâ

vmbra ſaltem ſymboloq; auguſtiſſimi Sacramenti fruiſcerentur. Viguit autem hæc cæremonia vniuerſim, tam in Orientali quàm Occidentali Eccleſiâ, vt idem auctor canone 14. Concilij Laodicenſis declarat, vigetque hodie in aliquot Latinis, Gallicæ potiſſimùm ditionis Eccleſijs. Vero quoque affine eſt, ab eâ nec huius ſæculi Græcos adhuc deſciuiſſe. Cùm enim Romæ Dominico quodam die eorum Miſſæ, quã Græcè incinebant intereſſem, & curioſam ſatis aciem in cæremonias & egregios ritus, quibus diuina peragebant, emitterem, obſeruaui illos initiare panes, hoſque adſtanti concioni è lance diribere, vnde & ego cum ceteris vnicum deſumpſi.

Anno 1608.

Sacratus panis pluris eſt quam vulgaris.

Cæterùm, ſicuti panes quibus Deus benedixit ſupra vulgares erant (quod eorum multiplicatio & effectus docuere) ita planè panis ille ab Eccleſiâ ſacratus, cibarium illum quo paſſim veſcimur, virtute anteſtat; prout antè S. P. N. Auguſtini auctoritatẽ probatũ, & inſuper, his Doctoris gentium ad Timotheum ſuum ſtabilitur: *Omnis creatura bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur, ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* In quam ſententiã D. Chryſoſtomus cum Theophilacto connotarunt; Apoſtolum per hypotheſin lo-

1. ad Timoth. 4.

qui;

qui, quasi qui dicat: Id maximè exploratæ veritatis est: omnem Dei creaturam bonã ac defœcatam esse; & vt praua foret, ac fæculenta, haud difficulter tamen, salutiferæ crucis, & accedentium precationum vi sanctitudo illi puritasque infunderetur. Quod si ita se res habet, vt Dei verbo, sanctæque crucis formaturâ, profanæ per se, immundæque creaturæ sanctitatem imbibant; quidni potiore iure dixerimus, panẽ illum antè suâ naturâ sanctum, sanctitatis gradus facere per verbum Dei, & preces Sacerdotis ab ore labentis in eius sacratione? Si, sortilegis, magis, alijs huius farinæ nebulonibus, orcique satellitibus, vi execrandarum aliquot vocularum super panem nomine virtuteque diaboli murmuratione illum sic intoxicent, effascinent, venenent, vt edentem prolixis languoribus inficiant, imò, interficiant: eccur Sacerdoti Christi Iesu Vicario furabimur hoc potestatis, vt ne panem inauguret, perq; bona verba & nomẽ IESV ingerat illi extraordinariam vim aut ægros curandi, aut nefarios spiritus exturbandi, aut incendium effocãdi, aut ferarum gulam oppilandi, aut alia huiusmodi, quę mira sunt patrandi? Minúsne efficax Dei virtús ad operandum fausta & amica, quàm diaboli ad infesta, & feralia?

Infractius robur huic propoſito addere queunt, maria miraculorum, quibus inauguratos hos panes Deus nobilitauit.

Hunc Abdiam refellit Baron. to. 1. annal. anno Christi 44. & 51. tum non dubitem eum de Apostol. virtu. ac mirac. multa verè ſcripſiſſe. vti etiam de his Petr. & Thom. panibus. Idē Auctor l. 9.

Abdias Babyloniorũ primus Epiſcopus Vitis Apoſtolorum inſerit, Simonem Magum inuſitato prodigio non minimam caninum cateruam in conſpectum D. Petri produxiſſe (erant autem meri caninis rictibus laruati dæmones) Apoſtolum autem ſacratum illis panem obieciſſe, ad quem illi mox in auras ceſſerint.

S. Thomas Apoſtolus pannuceam femellam ſpurco onuſtam Genio, iter facienti obuiantem, exonerauit illicò, panem illi ſacris etiam verbis à ſe expiatũ contradēdo.

Eodem ſcribente innotuit, quòd cùm flagitioſus quidam vir prodijſſet in conſpectum D. Thomæ benedictum panem ab illo percepturus, iamque manum conaretur extendere, brachium eius arcuatum hæſerit, remiſsũ verò demùm, vbi animæ purgamenta confeſſione purgaſſet.

S. Hilarion (D. Hieronymo relatore) perplures morboſos medicari, & virtute ſacrati à ſe panis & olei miranda perficere ſolebat. Ad quem non mulierculæ aut poſtremi hominum, ſed concurrebant (inquit) Epiſcopi, Presbyteri, Clericorum & Monachorum greges, matronæ quoque Chriſtianorum (grandis tentatio),

tentatio: & hinc inde ex agris & vrbibus vulgus ignobile, ſed & potentes viri ac Iudices, benedictum ab eo panem vel oleum accipere geſtientes. D. Hier. in vitâ B. Hilar.

S. Sergius Abbas cum aliquot mulionibus iter carpens, offendit in viâ Leonem ſomno occupatum, ad cuius adſpectũ perculſis comitibus omnibus, & in fugam verſis, Abbas otioſus à metu, bolum panis accepit, eumque à ſe ſacris imbutum euigilãti Leoni porrexit, & vnà diſceſſum imperauit. A Sergio iuſſum, à ferâ peractum eſt. Anton. Dan. in flor. exemp.

Accepimus à ſcribis vitæ S. Bernardi; quòd cùm haud procul Tholosâ Franciæ, contra Hæreticos Sanctorum cultum nefaſtum eſſe Catholicis, arguentes concionaretur: *Sermone completo plurimos ad benedicendum panes, ſicut vbique ſiebat, famulo Dei offerebant, quos ille eleuatâ manu & ſigno crucis edito, in Dei nomine benedicens, &c. tam ingens multitudo languentium, guſtato illo pane conualuit, vt per totam prouinciam verbum hoc diuulgaretur.* In vitâ S. Bern. l. 3. c. 5.

Etiam hodie benedicunt panibus celebris S. Huberti in Arduennâ monachi, qui canibus rabidis aut hominibus phreneticis præbiti, perſæpe illis auxiliantur.

Non arduum foret plurium id genus miraculorũ, virtute panis ſacrati editorũ farra-

ginem adgerere, vt eò firmiùs noster vsus panis annuè sacrandi corroboretur; sed ea quæ hactenus in medio fuêre posita, satient oportet illos, qui ratione præditi non patiuntur se nescio queis affectibus transuersos agi.

D. Antõ. in vitâ S. Nic. & Thom. de Trusill. serm. de eodẽ.

Huius ergò sacrationis vsus mox ab obitu S. Nicolai feruere cœpit; interposito deinde tempore obseruatu dignus est census, Eugenij IV. circa annum partæ redemptionis humanæ 1446. oraculo. Institutionis autem eius occasionem enuntiat B. Iordanus, refertque, quòd, cùm S. Nicolaus quodam die tam acri inualitudine possessus, vt de eius salute conclamatum esset, Diuinum, Marianum, Augustinianumq; auxilium depoposcisset, ac dein semisopitus cubaret, oculis eius obseruata sit Virgo Virginum ineffabili circumuallata splendore, eiusque latus claudente D. Augustino. Decus autem hic viri præ lætitiâ inopini spectaculi à mente desertus, auectusque in suauissimam venustioris Virgunculæ contemplationem, erupit in hæc verba: *Quæ ergo tu es, ô Heroina, quæ tam corusco redimita fulgore me adis, qui purus putus puluis sum, & cinis?* Illa autem humanè, vrbaniterque se Mariam Virginem Christi IESV matrem, cuius opis sitientissimus fuisset, & præsentem comitem

B Iord. l. 2. vit. Fr. c. 12.

D. Au-

D, Augustinum esse, insinuans: *Nos huc ecce, venimus*, inquit, *tuæ consultum sanitati. Nam sicuti tu per immoderatam abstinentiam, solo pane aquaq; victitando deploratam contraxisti valetudinem. ita virtute panis & aquæ tibi concedo, vt eandem reconcinnes.* & sic fata, designat insimul domum, vnde illi petendus sit panis, & pollicetur insimul, desideratum vigorem ad panis istius vndæ intincti gustatum, in artua rediturum. Desito igitur sopore, mittit custodiã suam clinicus, quo D. Virgo monstrarat, mansoque isthinc allato & aquulæ leuiter madidato pane, tam sanus lectulo descendit, ac si non ascendisset insanus. Experientiâ itaque magistrâ panis huius efficaciam doctus, noluit illum proximo inuidere: adeò, vt si quem inopum ægrotum nosset, missis illuc his panibus, vnà mitteret sanitatem. & quanquam hoc, quoad posset celatim faceret, tam longè tamen lateq; ea res erupit, vt (post panis à Deiparâ dati defectum) vndiqueversum ad illum curriculò conuentum sit, collatisque panes ab illo sacrandi: qui eâ vtique virtute pollebant, vt non minùs mira præstarent beneficia, quàm primus ille, per quem sibi fuerat facta salubritas. Cæterum viro sancto ex miseriarum hac Camarinâ, ad felicitatis regiam translato; & variatim languen- *Anno 1292. aut circiter.*

 tium

tium deſiderijs vſitato remedio ſpoliatis, acceſſum eſt ad Priorem, & Religioſos Cõuentus Auguſtiniani, cui inhumatus erat; & obnixè per honorem Chriſti IESV, aſſidueque ſupplicatum, vt in eius, Deiparæ, & S. Nicolai nomine non grauarentur, prout hic aduiuens ſolebat, ſacrare panes; nihil deſperantes quin & diuina bonitas, & Tolentinatis preces, hos panes, veſcentibus etiam conducibiles ſint redditura. Satis rigidas hiſce poſtulatis aures dederunt Religioſi: condolentiâ tamen euicti tandem faciliores accommodarunt: fidentes, clemens Numen (quanquam illi ſe permultorum criminum reos conſcirent) hunc panem compari virtute imbuturum. Quos ſpes non fefellit. Nam ſacratis ad exemplum D. Nicolai panibus, quicumque illos intimo pietatis æſtu, Deum, eius parentem, & ſeruum Nicolaum implorando, eſitarunt, omnem à ſe luem, medicas etiam artes ſuperantem, auolare ſenſerunt. Quod iuſtâ æſtimatione perpendens cum ſuis Cœnobiarcha, ne tam pretioſo myrothecio Reſpub. Chriſtiana fruſtraretur, perpetuarunt hanc initiandorum panum annali reiteratione Diui Nicolai ferijs conſuetudinem, accedente aſſenſu Eugenij IV. (vt antè ſcriptum) & totius Ord. Prælati Generalis

neralis edicto, vt deinceps quotannis hoc eodem die huiuſcemodi ritu panes non modò in iſto Tolentino, ſed & in omnibus totius orbis ordinis noſtri Monaſterijs, initiarentur. Quæ conſuetudo ad hæc vſq; tempora peruaſit, ſub communi ſed vniformi panum benedictione, quæ à Patribus noſtris concepta Miſſalibus, Officiiſque Ordinis appendet.

CAPVT XXIV.

Panis per interpoſitionem nominis Dei & Sancti Nicolai initiati cardinales, præcipuiq; effectus.

QVoniam magnum habet momentum effectus huius ſacrati panis, non ignorare; paulo exactiùs hîc nonnullos ex magis prægnantibus ac præſtantibus; quoſque longi temporis documento nos ipſi comperimus, diſcuſſuri ſumus.

Eorum primus eſt; quòd, quiſquis illo congruâ cum pietate veſcitur, modò cum Deo redierit in gratiam, à minutis næuulis expietur. Sicut enim ſanguis Ieſu Christi applicatus nobis per Baptiſmatis Sacramentum, eluit vitium quod ex traduce in nos transfunditur: applicatus *Collig. hæc doctrin. ex doctr. D. Thomæ 3. part. quæſt. 87 art.*

per Sacramentum Pœnitentiæ capitales eradit noxas: ſic idem pretioſus ſanguis animabus noſtris per hunc panem, aut ſacratas res alias applicatus, leuiores illas, quibus vulgariter obſerimur, emaculat maculas.

Secundus effectus; quod ſacratus hic panis cuiuſuis generis morbos, & præcipuè medicorum induſtriam eludentes piè ſumptus, abſumat.

Anno 1584. cuidam Leodij ex plebitate mulieri adoleſcentulus erat filius tam effrænatæ laſciuiæ, tamque incontinentis ac turbidi animi, vt quid conſilij capeſſeret mater non videret. Vagabundus nunc huc, nunc illuc diffluebat, proruebat extra vrbem, obibat erraticus pagum hunc, pagum illum, emanens creberrimè ſex, ſeptem, imò decem diebus extra patriam domum. Angebatur animo mater ob profligatum ac perditum filij ſtatum, modique neſcia quo in ordinem redigi poſſet fanaticus hic erro, nec clementiâ nec rigore flexilis; aſt recordata tandem audiſſe ſe identidem è ſacris roſtris commendationem efficaciæ panis S. Nicolai, rectâ adiit Priorem Cœnobij Auguſtiniani ſuburbani, à quo (erat is tunc temporis *P. Thomas Gratianus* ſpectabilis prudentiæ, ac pietatis vir) eiuſmodi panis fru-

frustum petijt, & ex facili impetrauit, cum monitiunculâ, vt sine vllâ eius prænotione aut notatione hunc filio edendum subdat. Bona matrona domum regressa, coctâ non temnendâ sorbitiunculâ friauit in eâ duas tresúe panis istius morsiunculas, & heteroclito huic capiti apposuit. Miram rem! Vix ius absorpserat, & in alium hominem abjerat; ex vago ac turbulento factus oleo tranquillior: & à maternis ædibus vltrà non dispescens in modum ouiculæ concessauit.

Effectuum tertius est; quòd pestilentias, febres, contagia cætera fuget, ac deleat: prout nos manu quasi palpauimus.

Accepi à quodam Conuentus nostri Rhemensis in Galliâ religioso, quod, cum enata pestis è strue cadauerum nouissimæ obsidionis Lagniaci, Aureliæ, aliorumque inter Galliæ regem & coniuratos conflictuum, vrbem illam, Ambianum, oppida agrosque vicinos, constratis incolis, solaret; essetq; à Superiore suo in eius curam commissus quidam iuuenis hâc, in Cœnobio nostro, correptus officiosè illi, quoad moreretur, obsequebatur. Cumque nonnullo pauore debilitaretur (nouus enim in hoc discrimine miles erat) recepto quot-diebus comesoque primo mane pane S. Nicolai

aliquantillâ aquâ immerso, mixtis ad Deũ & Diuam vocatibus, non solùm præsenti se periculo extulerit, sed omnes etiam formidinis radices euulserit.

Ex relatu Fr. Francisc. Scrian. redeunt ex Hispania circa eadem tempora.

Narratu cuiusdam sincerâ fide & vitâ Religiosi cognouimus, Cordubam Hispaniæ vrbem continuos quatuor annos tam acri contagio cæsam, vt videretur Deus obfirmatè funus & ruinam toti illi struere territorio. Populus sic districtus, intra tempus illud pronas ad Deum Diuosque manus assiduè porrigebat; sed cum aduerteret malum nihil dum accîdi, deliberauit denique ad patrocinium vnius vniciq; S. Nicolai de Tolentino conuerti. Nulli non curæ ac cordi fuit, ad Dei gloriam sanctiq; inuocationem, sacrari panes; qui mandebantur ab omnibus, à sanis in antidotum, ab insanis in pharmacum. Ac persensum paulò post, pertinacem atque diuturnam plagam, ex insperato, & miraculo residere, & exsæuire. Infectorum bona pars confessi sunt; illuxisse cubiculis suis circa spondas stellam ei, quæ D. Nicolao appingitur, simillimam. In summa; Corduba hoc miraculo à dirâ ac malignâ plagâ soluta fuit; suntque in numerum digesta octingenta plus minus miracula, ad Sancti Nicolai, & sacri panis huius venerationem effecta: quæ qui-

quidem, aliaque poſt ſecuta ibidem vt in publicum emittantur, ſtudiosè, collecta ſunt; hæc autem nuda ſolùm narratio eſt, ex ore Religioſi prompta, qui abhinc ſeſquianno illinc aduenerat.

Quartus effectus eſt; quòd prægnantibus validè commodet, naturæ onus ſaluet, & citra difficultatem, læſuramúe ſoluat. Nota mihi eſt hodie pia quædam & præſtabilis matrona, partionibus vt plurimum aſperis, quin & abortibus adeò pridem obnoxia, vt embriones eius ſolidam perfectionem, niſi perraró attingerent. Viſum ergò mihi nacto aliquando honeſtam cum illâ familiaritatem, & infortunii eius gnaro, quodam tempore vterum illa denuò geſtante initiare panem, illique tranſmittere & ſuadere, hunc pio Dei & S. Nicolai recordatu comeſſe. Quæ cum omnia ex præſcripto noſtro confeciſſet, gauiſa tunc proſperrimo eſt puerperio, & duobus etiam exinde ſuccedaneis, omnis deinceps abortionis expers. Confeſſa hæc res eſt, & manifeſta. Anonymam tamē conſultò poſui, quod non feciſſem, ſi per eius nobilitatem licuiſſet; & niſi illamet, ad euitandam calumniam, huiuſmodi caſus alterutrius coniugum flagitio cuipiam adſcribentium, publicari ſe vetuiſſet.

Effectus quintus est; quòd hic panis ijs præbitus, quorum ius corporum dæmones sibi arrogarunt, multum lancinet eorum heros. Quod ego hâc in re non vnâ, sed ampliùs sex vicibus expertus sum, silentio prætereundum non est. Arcessitus aliquando ad infelices hos homunciones exorcismo iuuandos, periclitari volens, num quid iis fortè nequitiei subesset, (vt subest nonnunquam) quoque mihi liquidiùs fieret, fictane an facta res esset, intriui clam omnibus, etiam socio meo, micas aliquot sacrati panis; Dæmonicus ad sensum vis panis istius, primum iusculi cochlear, in os meum conspuit, fœdo screatu vociferans: Abeat in malam crucem hic panis. O maleficum panem! Adigis me in rabiem tuo pane. Eiusmodi blasphemias euomebat per mancipij sui fauces diabolus. Vidi hoc ipsũ plus decies, aliæque iuxta mecum, & stirpe & fide nobiles personæ, in quarum numerum venit etiã M. Boucherus Doctor celeberrimus Cathedralis Ecclesiæ Tornacensis Canonicus.

Sextus panis huius effectus est, quòd meritò dici possit amuletum, sortilegia, fascina, incantamina, ligulas magicas, & id genus Sathanæ aut seruitiorum eius maleficia amoliens. Porrò, si cuipiam fortè alie-

num

num videatur, vires ſtygias in arctum contrahi tali pane, ſicuti eo, quē S. Petrus Diabolis-canibus Simonis Magi, obiecit: veniat is in cogitationem, eſſe rem longè veriſſimam: Infernates ſpiritus odio quaſi genuino perſequi, inter cætera, panem, quòd principale & ſublimiſſimum religionis noſtræ Sacramentum, SS. nempe Euchariſtiæ, ſub panis ſpecie conſiſtat; quod complurium ſagarum quæſtiones manifeſtant. Etenim licet apparet illis interdum oppipara poſt tripudium conuiuia in quibus omnia optatis reſpondent, deeſt plerumque tamen & panis & ſal. & quis ſcit, an non ideò tam peroſus panem ſit, quod infatigabili precatu poſcamus Deum *Panem quotidianum*? Deteſtatur tamen comprimis hunc panem ad Dei ſanctique Nicolai nomen ſacratum; nam quoties ad deſtringendas eius verſutias offuciaſq; vtimur, reminiſcitur inuictum illum pugilem Nicolaum, qui crebras in mundo victorias, & quamplurima de illo trophæa peperit.

Remig. l, 1. dæmonol. c. 16.

Septimus eius effectus eſt; quòd tempeſtuosâ in pontum iactus aurâ vectores, nautas, nauem efferat, turbines leniat, procellas euincat. Huius ordinis tot nobis denarrata ſunt, quæ cùm in Adriatico, tum Mediterraneo maribus, vidit Italia prodigia

gia, vt explere mentem ſtupore nequeam.

Cùm Venetijs, nobili quodam Lotharingo, non paucis gentis iſtius Mercatoribus, ac tribus conſecraneis religioſis ſociatus nauem inſcendiſſem, Recanetum ad comitia Ord. Generalia cogitãs, & vixdum ad ſeſquimilliare eſſemus auecti, tam inclemẽti tempeſtate cælũ inhorruit, vt vectorũ ne vnus eſſet, qui non ramuſculi inſtar totus contremeret. Tandem quali quali modo palantes, magis in, quàm ſuper fluctus, remigum ſolertiâ deuenimus ad anguſtum portum *Chioza* nomine; quem ſucceſſuri, à tam procaci deintegro turbine vapulauimus, vt diſiectis velis, ruptâ naui, nautis in mare eiectis, nos cum impete vado alliſi, inque arenâ relicti, nil niſi certam mortem pauore præcerperemus, donec oculis piſcatorum illius portûs notati ſumus, qui nos ſcaphulâ exceptos eduxêre, mortuis quàm viuis ſimiliores. Ceterùm his anguſtiis inuoluti, omnimodis conatibus, vota noſtra ad Deum, Diuam Lauretanam, Sanctum Nicolaum Tollentinatem dirigebamus, vſurpantes interim ad honorem ipſorum hoc ſacro pane, toto quem itinere circumferebam. Religioſorum periculi huius conſortium vnus erat Frater Remigius S.T.L. & Cõuentus Giroueltani alumnus,

alter

alter Fr. Carolus Veron, itineris totius comes religiosus Cœnobij Tornacensis in Gallo-Flandriâ: tertius verò Ordinis nostri tiro, cuius nomen obliuio suppressit.

Octauus effectus; quòd hic panis incendiorum fortuitarumque deflagrationum elidendarum, si cum inuocatione Dei & S. Nicolai, mittatur in flammas, potentiam in se concludat.

Ignis ab hinc annis plurimis, quo nescio casu irruptus Valentiæ Hispaniæ, in ædem S. Augustini vertit illam in cineres. Veruntamen Deus non simplici S. Nicolaum honore complexus, sibi & illi dedicatum sacellulum huic Ecclesiæ appendicem præstitit illæsam. Quanquam enim flamma, & supra & circumcirca depasceret omnia, huic tamen sacellulo perniciosa non fuit. Quod ex eâdem vstione adhuc nigrens, hoc etiam tempore visitur, ne tanti miraculi memoria aboleretur, custoditum. *Ex relat. F. Franc. Sorian.*

Cùm anno salutis 1536. ita perpenetrasset quandam domum oppidi Chinchonensis regni Toletani in eâdem Hispaniâ ignis, nullâ vt consudantium sagacitate sopiri posset, plebeia quædam mulier buccellam sacrati panis in flammeum hunc montem proijcit, fidente certè animo, quod illius energiâ & Sancti Nicolai

ro-

rogitis, inflammationi Deus fræna esset impositurus. Cui spei aspirauit euentus. Visa est enim tota illa massa flammea circa hunc panem conglobari, & impos reddi ad dæseuiendum vlteriùs in has ædes, aut iniectum etiam panem; qui post desitam exustionem inuiolatus est inuentus, & perplurium oculatorum testium acie contrectatus; inter quos & censetur amita Caroli V. augustæ memoriæ Cæsaris, quæ illâ tempestate Antistitæ titulo Vestalium Augustinianarum cœnobio, Madriti præerat; cui hic panis postmodum, (res vtpote rara & memorabilis) dono oblatus est.

Glomera beneficiorum æqualis admirationis aduehit indies Deus huic pani; quæ, breuitatis amore, in vrnâ silentij sepeliemus. Vnicum hoc carptim adiecero; panẽ hunc gaudere peculiari quâdam incorruptionis prærogatiuâ, abigens à se omnem ad longum etiam tempus putrefactionem, vt à nonnullis conseruatus sit, ad tredecim aut quatuordecim annos ab omni situ alienus. Existentes nos in Monasterio nostro Tollentino, donauere fratres nostri aliquot panibus sacratione ibidem initiatis, ac B. Nicolai lipsanis admotis: & quamuis prælongo itinere, pluuię, ventis, Italo æstui, montanis algoribus expositi fuissent, durauêre

uere tamen in hunc vſque die tam ſpecioſi ac veſci, quaſi ab hinc ſeptem octóue diebus piſti. Cuiuis licitum eſt, cui libitum, quâuis occaſione huius facere periculum; caueat tamen oportet, ne re tam ſanctâ, tentandi Dei cauſsâ, abutatur.

CAPVT XXV.

Modus hunc panem vſurpandi, cum breuiculâ ante-dictorum de Sodalitatis Patronis anacephalæoſi.

VEruntamen, non ſunt ſupradicta de admirandis huius ſacrati panis tam crudè indigeſteque capienda, ſed ſale aliquo ad gratiorem illis ſaporem conciliandum, condienda.

Quò ergo illa ex fide & vero rectiùs intelligantur, notandum venit

Primò; quòd, cùm à nobis diſſertum eſt, de primario panis huius effectu ac virtute, non ſit nobis propoſitum, dicere, Deum perpetuò, & infallibili euentu huius panis beneficio quoties vtimur, quod auemus: neque adſtruimus, omnes valetudinarios continenter in optatam ſalubritatem redigi, dæmoniis occupatos, procul dubio exonerari: fruſtó eius in flammas fluctúſue miſſo,

miſſo, hos confeſtim deturgere, illos deferuere, minimè omnium; ſed cenſemus Deum hoc pane præſtare vt plurimum ex tribus vnum; puta, quòd eo fruentis plaga aut curetur ex integro, aut ex parte ſaltem, vim eius laxamento quopiam, aduentitióque ſolamine promulcendo; aut ſi neutrum facit, arbitrandum eſt, Deo iudice, ſaluti eius magis expedire, vt mali pàtiens ſuæ cladi, incendio, procellæ, alij calamitati acquieſcat quàm ſolidè eâ integreque leuetur. Quod vtique generatim de præfatis effectibus omnibus accipiendum: ita vt Deus vi panis huius ſemper nos cuiuſcunque rei petitæ compotes faciat (ſi modò recte debiteque petamus) vel ſaltem ſuppeditet quid magis ſalutare.

Secundò, quod morbis obſtricti, medelam; nequam ſpiritibus illigati, ſolutionem; procellis quaſi malaciam; inflammatione læſi, extinctionem; prole onuſtæ, ſaluam ſolutionem; alij alijs infortuniis depeſſi exemptionem à S. Nicolao depoſcentes, Deumque per ſacrati panis huius vſum in ſe operari aliquem ſuprà memoratorum effectuum concupiſcentes, debeant neceſſariè cum illo redijſſe in gratiam: ac proinde tales quamoptimè ſibi conſulere, ſi quoad ei9 fieri poſſit ocyus, reatus ſuos in aures ſacer-
dotis

dotis Christi IESV vicarij instillent.

Tertiò, non esse opus edere, vel aliter adhibendo, vti grandi panis huius quantitate, sed pusillum bolum sufficere, quippe qui tātos efficaciæ neruos habeat, quantos ingens fragmen; quos certum est in collatâ illi diuinitus ad Sancti decus qualitate non quantitate, quæ nihil confert, consistere.

Quartò, quod vbi placitum alicui fuerit vsurpare hunc panem indefinitè, siue ad Iesum, siue ad missionem in rogos, vndas, aliò; conueniens sit hoc fieri adiunctâ Dei, Parentis eius, S. Augustini, sanctique Nicolai imploratione. Exempli causâ. Cùm infirmus aut quis alius periculo vicinus tuitionem venatur, priùs quàm vsum panis huius inchoet, genibus nixus sequētem precatiunculam, aut qualem ad instructionem, syntagmati huic annexuimus, præmittat.

Misericordissime Domine, præsentissima animarum nostrarum medicina; retûra hodie pietatis tuæ oculos, eosq; attrahe ad contemplationē difficultatis, quâ cū misello nunc tuo mancipio res est. Agnosco, Domine (quid infitear?) scelera nostra eò enormitatis processisse, vt digna sint, nō hac solûm, quæ vertici meo impendet scuticâ, sed quæ horribili sectere flagello: ast ô clemens Deus: si iniquitates obseruaueris, quis sustinebit? Si prorsus tibi decretum

eſt, facinorum noſtrorum maſſam cenſorio ſupercilio diſpungere; quis vultum tuum feret impauidus? ergône mihi aſperatus excandeſces, mi Deus, quem non neſcis, quâuis fronde in arbore nutante, vacillantiorem? Ipſus ego quidem ô miſericordiarum Pater à tuâ me fauentiâ ſecreui, tuo gremio excuſſi; ſed coniice, ſodes, quidquid commiſſum eſt ſub ſoleas infinitæ miſericordiæ tuæ, neque deinceps mea crimina, ſed ſupplicia potiùs reminiſcere, quibus filius tuus dilectus noſtram eſt vicem excarnificatus. Opitulare nobis, per merita glorioſæ virginis Mariæ. Opitulare nobis, per impigra, & indefeſſa quibus te ſunt demeriti P. Auguſtinus & S. Nicolaus miniſteria, & ſubduc nos periculo, cuius metu ferimur: exere pane hoc omnipotentiæ tuæ prodigia, ad ſublimiorem nominis tui gloriam. Amen.

Quintò; vt (quia non deſunt rationes, ob quas arbitrer conueniens eſſe) grauidæ, energumeni, effaſcinati, peſti, aut congeneri malo innexi, panem hunc ſumpturi pauxillo aquæ temperent (præſtat verò lustralem, ſiue (vt vulgò) benedictam eſſe) S. Nicolai exemplo, quem hâc etiam praxi vſum conſtat, ſic nempe à D. Virgine eruditum, cùm defunctum morbo corpus eius ſalubrius eſſe iuſſit.

Sextò; quod ad hanc ſacrationem attinet; fieri illam omninò ſemel annuâ pom-

pâ ſolemniter, ferijs nimirum Tollentinatibus, quarto Idus Septembres. Ad occurrendum igitur confuſioni, quæ interuenit ſubinde in panum diſtributione, ob conglobatum populi confluxum, deinceps hæc panum diſtributio fiet poſt oblationẽ Miſſæ, poſt quam ordine ac veneratione debitâ vnuſquiſque illum recepturus eſt è manu Diaconi, Sacriſtæ, aut alîus, cui hæc ſparta à Cœnobiarchis delegata fuerit, horum enim diſpoſitioni, atque arbitrio vbique hæc cura relinquitur.

Septimò; vt quiſquis hunc panem recipit, puræ ſindoni decenter inuoluat, in piũ vſum, dum ſuadebit occaſio, vel vrgebit neceſſitas, conſeruandum.

Octauò; quòd etſi ſemel dumtaxat hæc ſacratio anniuerſariâ pompâ ſolenniter inſtituatur, recurri tamen poſſit, emergente interim caſu aliquo, ad Monaſterij Priorem aut Sacriſtam, qui amicitiæ officijque gratiâ panem initiare valeant.

Nonò; quod, ſi quis opportuno tempore eo fruiſcens, experiatur virtute eius excellens aliquod beneficium, adeundus ſit illi Monaſterij aut Sacriſtiæ Præfectus, illique hoc ipſum intimandum, vt in cæterorum numerum tranſcribatur.

Hactenus iſta: in quibus paulò fuſiùs

expatiati ſumus,ad extimulandos Catholicos,& præſertim vtriuſque ſexûs zonigeros Sodales noſtros huic vt pani aſſueſcant affici: Sanctumque Nicolaum inexaturabilibus rogatis fatigare non abſiſtant. Vt igitur hactenus hæc de Sodalitatis huius Patronis ampliata in pauca conferam, dico: Illam admodum magnificam ac celebrem eſſe,quippe quæ Patronis gaudet animæ ornamentis apud Superos mirificè elûcentib? vt proinde nobis liqueat, pollere illos & valentiâ, & volentiâ extricandi nos è quibuſcunque rebus improſperis ac ſiniſtris, ſi hauſto è pectoris penetrali affectu eos implorauerimus. Et cedo ſodes care Sodalium cœtus, poſſentné amœniori condiri ſolatio Virginum preces,quàm habendo in almâ hac Sodalitate Virginum coriphęam Mariam, quæ cæleſtem miſericordiam ad nutũ ſuum diſpenſat, quæque nulli vnquã cordis adyta illi aperienti, aures obducit?

Quod locupletius ſolamen feminis bene,maléue maritatis, quàm inueniſſe in aſtris patronam B.Monicã, quæ aſſiduâ prece Patritij coniugis, & Auguſtini filij fidei caſſos animos in meliorem ſtatum repoſuit? Poſſentné purius deſiderare pudicitiæ ſpeculum viduæ, quàm eandem matrẽ Monicam, quæ ab exceſſu mariti, mundo re-

repudiato restantem vitæ actum sanctissimè executa est?

Quod præsentius auxiliū peruenari possent perditi ac profligati peccatores; quàm sortitum esse in cælis Aduocatū Augustinū; &in pœnitudinis exemplū humillimas eius Cōfessiones, & quàm maximè admirandā conuersionem. Monachi denique ac Moniales; aliæque religiosi spiritûs personæ, queantné ducem reperire fidiorem in hâc Sodalitate, quā S. Nicolaum graphycū veræ Obedientiæ, Castitatis, Paupertatisque specimen, ac peruiuā Monasticæ perfectionis imaginē? Quem nō constans alat spes, cælitùs sibi quiduis ex sententiâ cessurū his parariis, qui adhuc mortalibus misti, tantâ fuêre apud cælites auctoritate, vt nunquā non illos exorarent, quod exoptarēt. Defæcato igitur animo simus, Sodales, in ærumnarū hac sentinâ, præferuidoq; pectore insudemus inuocationi horum Sanctorū in quauis casuum acerbitate, securi, quod idē ille Deus, qui Israëlis posteritatē, Abrahæ, Isaaci, Iacobi, aliorumq; sibi familiariū respectu, cumulis fauorū est prosecutus, ijsdē nos & fortè affluentioribus, spectatissimorum horum, quos in hac Sodalitate delegimus, interpretum, congruo honore inuocatorum gratiâ, sit locupletaturus.

CAPVT XXVI.

Celebritas Zonigeræ Sodalitatis ex charactere, qui est loreum, ad exemplar D. Augustini, subcingulum.

NOn est nuperus, neque nouitius, sed canâ antiquitate spectabilis gestandi ac reuerenter habendi cinguli vsus.

Leu. 8. In Leuitarum codice, filij Aaron *baltheis* Dominico iussu *cinguntur*, cùm sacerdotio inaugurantur.

Leuit. 16 *Exo. 29.* Ibidem, Exodoque cauetur: ne Aaron Mystarum primas ab obitu filiorum suorũ sanctuarium pedes inferat, nisi priùs *zonâ præcinctus*, morte alioqui piaculum luiturus.

4. Reg. 1. Regij annales Eliam vatem *zonâ pelliceâ cinctum* describunt.

Matt. 3. Euangeliographi Matthæus & Marcus Christi præcursorem amiculo ex villis camelinis contexto opertum, renibus *pelliceo cinctu* interpressis depingunt.

Actor, 21 Diuus etiam Lucas Doctorum gentium eiusdem materiei *cingulum*, ordinario vsu gestasse, posteris nuntiauit.

Apoc. 15. In Pathmo quoque insulâ conspecti sunt quondam ab exule Christi corculo

septẽ

ſeptem Angeli totidem phialas Numinis iracundiam ſpumantes manu tenentes, interque cætera eorum inſignia, veſtimenta *zonis aureis præcingebantur.*

Item aliàs illi viſus eſt Angelus Ieſum Chriſtum repræſentans præcinctus ad mamillas *zonâ aureâ.* Apoc. 1.

Daniel denique oblatum ſibi iuuenem ſcribit, (Angelum nempe, plurium opinione, Gabrielem, Chriſtum quoque referentem) cuius *renes accingebantur zonâ aureâ.* Dan. 10.

Huic ergo cinctui à magno P. N. Auguſtino, beatâ parente eius Monicâ, plurimiſque veteris Synagogæ, ac nouæ Eccleſiæ hominibus ſummus vſque tributus eſt honos & cultus. S. enim Auguſtinus accepto hoc à S. Simpliciano eius etiam vſurpatore, cingulo; non ſolum ſe eo circumdatum obire voluit, ſed & omnes conditionis vtriuſque religioſos ab ipſis ordinis ſui cunabulis ad geſtationem eius in lumbis quoad vixerint, obligauit. Cui ſe etiam colligauit D. Monica, cum Sanctimonialibus reliquis eius diſciplinæ ſectatricibus, adæque, vt videre eſt eos, qui in regulam Franciſcanam iurarunt, fune circumuinciri. Quâ ſane agendi methodo accuratè à SS. Patribus perueſtigatâ, penſiculateque diſcuſsâ, Chriſticolis ad Dei laudes, & San- Iord. lib. 10. vit. Fr. c. 15.

ctorum cultum validiùs accendendis, sancta sedes Apostolicá gratiis atque indulgētiis dotauit eos, qui ad Dei, Deiparæ, ac S. P. N. Augustini gloriam, scorteâ hâc zonâ, ab aliquó Ordinis nostri Patre auctoritate predito sacratâ, corpus circumligatum habent.

CAPVT XXVII.

Binæ considerationes, quæ auctrices Augustino fuêre gestare loreum cingulum. Vestitus Matris-virginis vestitui Diuæ Monicæ, eiq; quo hodie induuntur religiosæ virgines sub signis Augustinianis militantes, conformis fuit.

QVeat ex hactenus dictis primâ nonnemo fronte haurire mirationem, & occasionem percunctandi, cui bono gestentur hæc cingula? ecquid iis sanctitatis, virtutis, pietatis inesse possit? Re tamē circumspectiùs expensâ, diiudicari potest, non esse rem nihili, aut ratione vacuam, quod S. Augustino placitum fuit circumferre cincturam hanc, & adhæc perpetem eius vsum toti ordini suo iniungere.

Rationum itaq; prima est, vt se & priscæ legis Vatibus, & Dominicis Apostolis, quorũ vitæ amussi religionem suam aptauit, ac-

com-

commodaret: eremitis etiã grandi numero ſylueſtria colentibus,cæteriſque iſtius tempeſtatis eodem cinctu ſe adſtringentibus,vt videre eſt apud Caſſianum, & colligere ex facto Simpliciani, cùm S. Auguſtinus genus vitæ religioſũ primiter complecteretur. Cùm enim S. Ambroſius cultu illum monaſtico ornare vellet, S. Simplicianus eueſtigiò nigram illi togam obtulit, cucullum haud diſcolorem,cum pellicea zonâ; quod non debili argumento eſt, bonos illos Patres his cingulis aſſueuiſſe. Sed his ſuper, ſuadeo Caſſianum conſuli, qui hactenus in medium producta, probat efficaciſſimè.

S. Ambr. ſerm. de bapt. S. Auguſt.

Collat. Patrum l. 1. c 4. & 12.

Secunda ratio, quæ adauxit illi cupidinem geſtandi cinguli, fluxit ex oſtẽto quopiam, quod ſe oculis B. Monicæ infudit,cuius meminere Paulus Bergomenſis in eius vitâ, ac dein Auguſtinus de Tolentino in exordio exigui ſyntagmatis, quod de priuilegijs ordinis compilauit,palamque in vrbe Roma venum proſtat. Fuit verò iſtud. Cùm obſeruantiâ prorſus exquiſitâ Dei matrem veneraretur ac coleret B. Monica,& ad nutum eius omnes actus ſuos ſtudiosè collimaret, fauſtus illi dies illuxit, quo eius conſpectu beata fuit, cyclade decenter nigricantis, quam circum renes

Florẽtiæ impreſsũ typ. Michaelis Angeli 1594.

pellicea zona cohibebat, amicta dicens ei: hanc esse cultus sui viuentis formam; debere autem ac decere Monicam, matronam nempe tam sui studiosam, etiam habitum huic similitudine iunctam adsumere, & imitaminis ergô, residuo vitæ, deferre. Dixit, & effluxit. Sancta autem Monica visione cum filio Augustino & tribus filiabus communicatâ, pari mox voluntate huius formæ vestimentum sibi (Monica nempe cum SS. Perpetuâ, Felicitate, & Basilicâ) accommodarunt; nec his contentæ, statuêre, vt quibuscumque mens fieret vitam suam ad earum normam ordinandi, ad gestatum nigelli huius amictûs, pelliceęque zonæ obligarentur: prout à Vestalibus nostris Italis, Hispanis, aliarum gentium ad hoc tempus obseruatè curioséque gestatur. Et, me quidem iudice, redigendæ ad hanc etiam praxin essent Moniales nostræ in Belgio, à quibus aliquatenus est retentus niger cultus, cingulo in postremis relicto, in quo tamen totius ferè Augustinianæ religionis summa, quasi quodam in cardine versatur.

B. Clara de Montefalco, nostri ordinis religiosa eâ verè sanctimoniâ clarens, vt ab exitu eius reperta fuerint in eius corde augustiora Dominicę Passionis mysteria; crux

cum

cum carnei corpuſculi appendiculâ, maſtix, columna; in felle autem, magnitudinis auellanæ tres calculi, euidentiſſimà ſacræ Triados effigies: quorum vnus, reliquos duos pondere coæquabatur, tres verò ſimul duorum pondus non excedebant; quod his verſibus pius quidam cecinit Poëta:

Monteſata à Falco virgo ſanctiſſimà Clara,
Atque Auguſtini ſacro perfecta pudico,
Vſque adeo cum corde Deum veneranda dieſq́;
Ac noctes, Chriſtiq́; crucem tormentaq́; cuncta
Optauit ſenſiſſe gerens, vt lumine functa
Extremo ſit aperta caro, quæ prefferat exta,
Inq́; ſacro crux viſa ſimul, tum lancea corde,
Tumq́; columna fuit, nec non poſt quoque flagellũ;
Præterea cuncti tres huius felle lapilli,
Quorum vix cerni poſſit color vnius horum;
Ponderis eſt tantum duo, quantum vel ſimul omnes,
Atque duo tantum tres iuncti, quiſque videre
Quæ queat, huius adit patriam qui ſedulus ædem.

Iacobus Philip. Bergom. in Supplement. Chron. an. Chr. 1300.

Hæc igitur tam præſtabilis virgo omnibus conſpicienda iacet in altari ferreâ crate conſepto, nigrente cultu, coriaceo cingulo in talos propendente vincta.

His omnibus quæ calamo extuli, oculos inſerui: & ſub aſpectum corporis eius, rei diuinæ operatus ſum. Facies eius, manus, inueſtes plantæ, cutem, carnem, vnguieſque *Anno 1602. 3. Ian.*

velut

velut quadragenariæ mulieris ſomno vacantis vegeta, ſolidaque tuentibus offerunt; quamuis exacta modò ſit trecentorum fermè annorum periodus, ex quo hũc in modum putori impenetrabilis perennat: Poſt annum nempe 1300. Bonifacio VIII. ſummo cum imperio Rem Chriſtianam moderante. Longo dein interiecto tempore Nicolaus V. hoc prodigij iuſtâ æſtimatione perpendens compoſuit illi, bellam, quam ſubnecto, orationem quâ nos Deo, Diuæ huius memores, commendemus: *O mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.*

Verſ. *Ora pro nobis B. Clara.*

Reſp. *Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.*

Deus qui beatam virginem tuam Claram clarificans, in ipſius corpore paßionis tuæ & Trinitatis myſteria renouaſti, præſta quæſumus, eius precibus & imitatione, ſic nos tuæ paßionis amaritudinem recordari, vt Trinitatis beatitudine perfrui mereamur. Floruit autem hęc virgo, circa annum 1280.

Hæc libuit ἐν παρέργῳ interſpergere, quò cogitatiùs videant Belgicæ Auguſtinianæ, ſe, donec coriaceo cinctu caruerint, ferre dumtaxat dimidiatum ordinis ſui cultum. Quin exemplum ſumant à virginibus Frãciſcanam regulam profeſſis, quarum lumbos

bos non minus restis circumit quàm paris instituti virorum? Nec est quòd sanctum hoc indumentum fastidiosæ despuant; quod parens ipsa Dei non est auersata.

Eiusdem ordinis ac ferè nominis, Clarellæ corpus, est in eodem Falconis monte, sed dignioris sexûs Asceterio, præferes consimiliter, & pullam tunicam, & loreum baltheum. Sed vt reuertamur ex hoc diuerticulo, ad viam. Quò inconcussâ stabilitate firmetur veritas prænarratæ D. Monicæ visionis, innuit auctor, Diuam Virginem eo cultu, & zonâ quibus vsa viuens fuerat, cõtumulatam. Porrò illâ in superas sedes deportatâ, in signum, quod animæ ad astra tendenti corpus comes abijsset, insinuauit se oculis Diui Thomæ Apostoli, (qui discessui eius ex hominum cœtu non interfuerat; & Assumptioni illius, vt quondã Dominicæ Resurrectioni videbatur fidem negare) illumque suo cingulo munerauit (id ante illum plures notauêre Doctores) quod summâ veneratione Cantuariæ dein Angliæ conseruatum fuisse creditur. Accepisse autem se hoc, ait auctor, à non periculosæ fidei eiusdem regionis negotiatoribus, nominatim *Nicolao l'Asqualigo*, affirmante se & oculos huic zonæ adiecisse, & reuerentiam præstitisse, ob miraculorum crebri-

Ita ferè Niceph. l.15. Hist. Eccl. c. 14

crebritatem, quibus matris suæ gloriam diuinus fauor prosequitur, matronis potissimùm fœtu turgidis propitius, quæ hac zonâ circumligatæ prosperè, feliciterq; enituntur. Hanc aut aliam huic similem Suessione in Galliâ, Vestalium Monasterio D. Virgini sacro seruari ait Crespetus.

Crespet9 in triumpho Mariano

Venetiis in altari Conuentûs nostri S. Protomartyri dicati prostat impræsentiarũ tabula quædam & antiquitate & raritate prænobilis, in quà Deipara nigrâ veste contecta, zonâque renes instricta: plures id genus zonas manibus detinens porrigit ad pedes eius ingeniculanti D. Monicæ, omnibus illi, Diuoque Augustino deuotis, erogandas; & hinc est, quod Zonigera nostra Sodalitas primarium D. Virginis titulum præferat, secundarium D. Monicæ, &c.

Niceph. hist. Ecclesi. l. 14. c. 49. lib. 15 c. 14.

Cæterùm, vt firmioribus vltrà radicibus quæ dicta sunt fundentur, consulendæ essent Nicephori Historiæ, adstruentes non vno loco Mariam Virginem cum indumẽtis & corrigiâ, quæ vsibus eius subseruierãt, busto ingestam fuisse, quæ deinceps peculiari religione, & fidâ custodiâ contenta fuêre, in augustâ æde à Theodosio Augustô, sororeque Pulcheriâ Byzantij constructâ. Inuestiganda est super his opinio Cardinalis Baronij, molitionem sacræ huius ædis

Baron. tom. 6. an. Chr. 460. & 474.

ædis Leoni Imperatori adſcribentis: & Bozij dicentis; veſtem glorioſæ Virginis Mariæ relictam penes Hebræam mulierem delituiſſe Hieroſolymis ad ſpatium quadringentorum aut amplius annorum, *Candidumq;* ac *Galbium* Patritios, Hieroſolyma pergentes fortè illic hoſpitatos obſeruauiſſe penetralia domeſtica inuſitato lumine coruſcantia, & vnà ægrotantium gregem inſidere. Illos autem cum admiratione, quid hoc rei eſſet ſciſcitantes, didiciſſe tandem: indumentum Reginæ Virginum illic attineri, idque quamplurimorum ægrimonias diſſoluere. Quo percepto, illos verſutiæ cuiuſdam fabricâ ſurreptum Conſtantinopolim abſtuliſſe, vbi illud in magnificentiſſimo à ſe erecto templo, eximiâ veneratione cultum, & colendum depoſuit. *Bozon. tom. 2. ſig. Eccl. c. 11. ſigno 67.*

Hi autores non expandunt quidem perſpicuè, cuius coloris virginalis hic cultus fuerit; propius tamen vero eſt, prædictæ viſioni congruentem, & pullum fuiſſe, qualem quoque Monicæ ac ſectatricum eius fuiſſe liquidò conſtat. Ad hanc ſententiam tribus trahor rationibus. Prima eſt, quòd ater ille veſtitus plus ſapiat vrbanitatis atque honeſtatis: ac proinde magis competiuerit ingeneratæ Virginis Mariæ modeſtiæ, quàm alia quæuis. Secunda; quòd

quòd in Ecclesiæ primordio, atra vestis Christianis communior fuerit, vt animaduersum supra est cap. 14.

Tertia; quòd speciatim puellæ quæ virgineum Deo florem dicarant, & tunc, & exin ad D. Hieronymi ætatem tritâ consuetudine, nigris obtegebantur: à quâ opinione ne Baronius quidem abhorret, *Deo*, inquiens, *sacratas virgines non tantum tegi sacro velamine, sed nigrâ indui veste, & operiri pallio olim in Ecclesiâ consuetudo fuit.* Cui consonat D. Hieronymus: *Solent*, aiens, *quædam cùm futuram virginem spoponderunt, pullâ tunicâ eam induere, & furuo operire pallio.* Et ad Marcellam: *Pulla tunica, minùs cùm humi iacuerit, sordidatur.* Huic assidet, quod S. Euphemia martyr Diocletianum Tyrannum nigris inducta triumpharit. *Adstabat* (inquit S. Asterius) *virgo pulla veste, & pallio philosophiam professa.* Maximè igitur verum est, gloriosam Dei matrem, quæ omnium prima, modoque præ omnibus perfectissimo, virginalem pollinem Deo litauit, furui etiam coloris, vt aliæ vestem induxisse. Cui non refragari videtur vetus scriptor Epiphanius, dicens: vestimenta eius colore fuisse genuino, natiuo, & non altero, quàm, quem rudis, & nullo tinctu infectum vellus ouiū suppeditat: hic autem color aquilus est, obscu-

Baron. tom. 1. an. Chr. 57.

Hieron. epist. 12.

Baron. tom. 1. an. Chr. 57.

obſcurus,& infuſcatus. Interim ſtricta Epiphanij verba ſunt hæc: *Veſtimentis, quæ ipſa geſtauit, natiui coloris contenta fuit.* Cui teſtimonium dat capitis Mariani peplum, quod eâ tempeſtate oculis exponebatur, & hunc colorem referebat.

CAPVT XXVIII.

Capitalis ratio, quæ S. Auguſtino, alijſq; SS. Patribus corrigiæ geſtamen ſuaſit.

Conſiſtit illa porrò in Symbolis, & arcanis aliquot myſterijs, quæ nobis ob oculos, aut mentē potiùs per hunc vſū corrigiæ locantur; vt non immeritò his protitati fuerint priſci patres, proritarique debeant pij Sodales omnes, ad religioſam eius vſurpationem.

Subſtruit primò oculis noſtris vnionem quam inter Deum, & nos par eſt vigere; quòd innuit Hieremias, cui præcepit *Ierem.13* Deus lumbari renes incingere, poſtque breue interuallum idipſum tollere, ad Euphratem vadere, & in foramine petræ occultare. Ac dein pluribus interiectis diebus, idem indidem educere; ſed hoc adeò putrefactum vates reperit, vt ad omnem vſum eſſet inhabile.

 Lum-

Lumbare hoc, ſiue zona, quâ lumbos circumcluſit prophetes, denotat eximium Dei in ſuos, ſuorumque viciſſim, quo redamandus erat, amorem; quòd auferri illud iuſſit vt Euphrati imputreſcat, ſigno eſt; ſe affectum ſuum ab ingratâ gente reuocaſſe; quippe cuius timor, amor, obſequia, tantæ maieſtatis fallebant expectationem. Pari modo: quâ ambimur corrigia, vtriuſque iſtius amoris nos ſubmonet; vt deteſtatis quibuslibet rebus temporarijs ac profuſorijs, accincti, aduniti, & quàm arctiſſimè ligati, illi ſoli cohæreamus, huncque eius amorem creatis omnibus præponamus.

Secundò; ſymbolum eſt exilij noſtri, & vagæ in hoc mũdo peregrinationis. Iubebantur olim Hebræi, cincti & ſuccincti Paſchalem agnellum commanducare, ſuam in exoticâ plagâ peregrinationem, & ex eâdem denuò cæleſti beneficio eductionem, recenſendo: *Renes veſtros accingetis, &c.* Sic & nos corio hoc circundati commoneſimus, ne affectus noſtros mundanis bonis intingamus, ſed recordemur, peregrè nos & fixæ vrbis inopes oberrare, ac proinde immoderato ſuſpiratu ad ſtabilem patriam, & interminam beatitatem anhelandum.

Tertiò; aduerſitatum & afflictationum, quibus Deicolæ iugiter in hoc mundo atterun-

teruntur, ſymbola eſt. Hoc ſenſu Iobus, *Flagellis*, ait, *ſuis me cinxerit.* & Auctor ſalutis noſtræ cum D. Petro ſermocinans: *Cùm eſſes iunior, cingebas te, & ambulabas, quo volebas*: cùm autem ſenueris, alius cinget te, & ducet quò tu non vis. Quâ figurâ, quid predicit aliud, quàm manere illos cruciaminũ, ęrumnaliumque in Euangelij præconio laborum ſegetem pro eius nomine concoquendam? Quotieſ-igitur-cunque nos duello, contagione, eſurigine, aliâ calamitate premi, publicis priuatiſûe cladibus pertundi, ſentiſcimus: demittenda ſunt nobis in zonam noſtram lumina, & ſpeculandum; quòd, ſicuti corpus quàm poteſt arctè conſtrictum eſt, ſic & nos quoad hâc aurâ miſeriis & funeribus exundante veſcimur, nõ vnis contortionibus ad Dei gloriam, & vberius meritum noſtrum, coarctandos eſſe: proindeque quoties ijſdem impetimur, cõplexandos: ſtomachoque amore Dei, qui infirmitatum, fragilitatum, culparumque noſtrarum faſcem in ſcapulis ſuis coagmẽtatum tulit feruente, glutiendos. *Iob.19.* *Ioan.21.*

Quartò teſſera eſt tentationum, quibus in hâc mortali vitâ perplexamur. Huius imaginem Saulem fuiſſe crediderim, qui olim Dauidem & conſectaneos eius captiuitatis gratiâ, toto exercitu cinxerat. Obuerſa- *1.Reg.23*

tur igitur méti, ad aſpectum corrigiæ, quòd ſicuti Dauid aduerſária corona, corp⁹ verò noſtrum corio conſepitur, ſic diabolum, mundum, carnem, cæterumque cùm animæ, tum corpori inſidians agmen, nos die, nos nocte, quouis loco ac tempore, circumſedere, vt nos intercipiat, & peccati laqueo ſuffocet. Ideoque ſagaci curantiâ diſponendas eſſe excubias, peruigilandum, aciem in Deo figendam, hanc expromendo vocem: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Gen 49. *Num.* 32 *Iud.* 18. 1. *Reg.* 17 & 25. *Pſal* 44. 1 *Mach.* 3

Quintò; fortitudinis ſignum eſt, vt patet è quamplurimis diuino ſpiritu compoſitis libris, Geneſios, Numerorũ, Iudicum, Regum, Pſalmorum, alijs. Cui ſententiæ firmandæ attexam, quod chartis illeuit Ioannes Placenchus Dominicanus; affluxiſſe nempe è Germania quondam in vrbem Leodium cuneum hominum, rabientium, ſpumantium, & furioſo more per vicos plateaſque ſubſultantium, idque tam efferatâ phreneſi, vt nemo ciuiũ auderet prodire in publicũ. E clero igitur Leodienſi quidã, ſacratis cingulis acceptis eos colligarũt, quibus non ſolũ has eorum intemperies ſtitêre, ſed & maniã omnẽ extirpauêre. His accedit; quòd apud vetuſtiores Ethnicos cõſenuerat conſuetudo, diuerſa eaq; potiſſima corporis membra, diuerſis dijs dedicare,

Circa annum 1370.

re, frontẽ, nimirũ, Genio; brachia Iunoni; Neptuno pectus; Veneri renes; Mercurio pedes: illam verò partẽ, quã cinctus ambit, Marti armorũ ac præliorum Deo; ad hominis fortitudinẽ designãdã. Prouerbia sacra, vt Ecclesiæ robur enuntient, aiunt: *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Æquũ ergo est meminisse cùm hâc zona circumdamur, pancraticè nobis cum hostibus nostris tã corpus, quã meliorẽ nostri portionẽ impetentibus, velitandũ. Si verò eâ liquescimus, fluimusq́; mollitiâ, vt victos illos nobis substernere nequeamus, Dei opitulamentũ esse alliciendũ, qui neruos nobis in eorum impetũ submittat; ac tũ, has Prophetæ voces liceat exprimere: *Si consistant aduersum me castra nõ timebit cor meũ, si exurgat aduersũ me præliũ in hoc ego sperabo*: in præsidio nempe protectioneq́; diuinâ. Sextò; est iustitiæ character: secundũ hæc Isaiæ de salutis nostræ Assertore loquẽtis verba: *Erit iustitia cingulũ lumborũ eius.* Hoc igitur corpus nostrũ circumligantes, moneamur oportet, curiosè nobis Iustitiã, speciosissimũ animæ ornamẽtũ, aucupandũ esse. Septimò; fidei significationẽ sæpiusculè ingreditur. Sequitur enim superiora: *Et fides cinctoriũ renũ eius.* Sic dum zona nos circumfluit, non tantùm regustatur in memoriâ data Christo Iesu in vitali lotione

Alexãd. ab Alexandro.

Prou. 31.

Isai. 11.

fides, sed testamur: deliberasse nos agere vitam,& exigere in eâ fide ac religione,quã professi sunt illi,qui primò omnium hoc renibus circumposuêre cinctorium.

August. ser. 27. ad Frat. Eremit. Octauò,humilitatis & mortis memoraculi (quod D. Augustini consilio;nobis expedit esse familiare)indicina est. Vt,cùm mente expendimus, cingulum hoc de corio morte consumptarum animantium esse confectum; reminiscamur: nos eidem nos nostraque debere; ideoque tanti ducendũ non esse corpus, & mundana reliqua, quibus in præceps trahuntur ambitiosi,imprudentes,maleferiati.

Nonò; etiam Castitatis nota est; quòd præter pluria sacri codicis loca, Lucas loquitur: *Sint lumbi vestri præcincti.* Vt,ceu caro nostra cinguli pressatur angustijs,sic animi, corporisque sensus etiam frenandos esse, ne carni quidpiam sinant admittere, quod lasciuiam aut obscœnitatem sapiat.

Luc.12.

Decimò; pœnitentiam quoque nulli nõ vitiosorum mortalium pernecessariam denotat. Hæc vocis huius vis est secundo, tertioque regiorum Annalium, fatidicorũ foliorum Esaiæ, Hieremiæ, Ezechielis, aliorum locis; vsqueeò,vt dum cingulo circulamur, meminerimus delictorũ nostrorum hîc à nobis exigendas esse pœnas, vt

2.Reg.3. 4.Re 20. Isa.5. & 22. Hierem. 4.& 6. Ezech 7. & 27.

per-

perarduo Dei tribunali ſubtrahamur.

Vndecimò, ſupponit oculis noſtris execrationem quâ plectuntur facinoroſi, vt è pſalmis eruitur, in quibus de Iudâ, & ſceleratis dicitur: *Induit maledictionem ſicut veſtimentum.* Et infrà: *Fiat ei ſicut zona, quâ ſemper præcingitur.* Speculamur ergò; quòd, ſicuti zona vniuerſam corporis maſſam circumplectitur, diuina ſic execratio perpetuò & vbiuis locorum, quoquo ſe verterint, circumretit. Pſ. 108.

Lorea denique cinctura, clariſſimum lumen gloriæ cæleſtis adumbrat. Cùm enim diſpicimus, cincturam adferre corpori decus atque ornamentum, deſcendimus in cogitationem inæſtimabilis, quâ Deus cultores ſuos beaturus eſt, adoreæ, & promiſſi: quod *præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*; ideoque mouendũ omnem lapidem, vt eò aliquando euehamur.

Rationum hæc ſumma eſt; quibus adacti olim fuêre D. Auguſtinus & D. Monica, quibus nunc adigendi ſunt Sodales noſtri ad piam & honorabilem hanc corrigiæ vſurpationem, mentem identidem moralibus his contemplationibus diſtinendo.

CAPVT XXIX.

Sodalitatem hanc celebrem reddunt Indulgentiæ, cæteraq; spiritualia, quibus potiuntur Sodales, beneficia.

QVò clariùs perspiciantur, percipianturque ea, quæ subsequentibus capitibus dicenda supersunt, per articulos omnia, seu paragraphos distinguemus.

Paragr. 1.

Paulus V. donat indulgentiâ plenariâ vtriusque sexûs fideles eo die, quo primùm nomē suum Zonigeræ huic Sodalitati dederint, dummodò verè pœnitentes, conscientiam confessione expiatam, sacrâ Cōmunione refecerint, pieque Deum pro Christianorum Principum vnione, hæreseon euulsione, & S. M. E. exaltatione precati fuerint.

Paragraph. 2

Easdem iisdem concedit idem 4. Maij D. Monicæ sacrâ à primis Vesperis vsq; ad secundas; si eodem die, seriò contriti Confessi, SS. foti Eucharistiâ, in templo Augustiniano preces fuderint, prout suprà.

Para-

Paragr. 3.

Item qualibet Dominicâ quartâ cuiuslibet mensis per annum, peccata sua detestantibus, iisque in sinum Confessarij proiectis, Communioneque perceptâ, sacram processionem, eâdem Dominicâ, in templis Augustinianis instrui solitam comitãtibus, ac supradicta omnia perficientibus plenariam quoque largitur indulgentiam.

Paragr. 4.

Eandem dat Sodalibus horâ mortis fatali, si Ecclesiæ Sacramentis muniti sacrosanctum IESV nomen pronuntiauerint, animasque suas Deo, ore, aut sin minus, corde commendauerint.

Paragraph. 5.

Idem Pontifex impertit Sodales septem annorum totidemque quadragenarum indulgentijs, die Natalium Christi, Paschatis, Pentecostes, si suprà-dicto modo instructi ecclesiam Augustinianam viserint, ibidemque Deo similiter supplicarint.

Paragraph. 6.

Item ducentos annos, eiusdemq; numeri quadragenas Indulgentiarũ, quotiescunq;

ſepelierint, aut demortuorum Conſodaliũ ſepulturæ, Deum pro illorũ animabus obſecrantes, interfuerint.

Paragr. 7.

Centum rurſus annos, quotieſcumque charitatis inſtinctu captiuos, morbidoſque viſitatione demulſerint.

Paragr. 8.

Centum quoque dies diebus Veneris ad Paſſionis Chriſti, & Sabbathinis ad Deiparæ honorem ieiunantibus, aut ab ouorum lacticiniorumque eſu ſe piè abſtinentibus.

Paragr. 9.

Item quinquaginta dies alios, quoties conſcientias ſuas diſcuſſerint, examinarintque, ſcelera ſua execrando, & exomologeſin ſeriò proponendo.

Paragr. 10.

Impertitur iterum decem dies Indulgentiarum ijs qui Dominicis diebus, ac feſtis celebrari præceptis, & quatuor principibus Deiparæ ſolennitatibus poſt Confeſſionem Communionemq; templum Auguſtinianũ viſitauerint, & quinies Oratio-

nem

nem Dominicam totiesque Angelicã Salutationem percurrerint.

Paragr. 11.

Denique concedit septem annos, totidemque quadragenas Indulgentiarũ quoties face aut alio luminari instructi comitati fuerint V. Sacramentum, dum ægris defertur, & pro eorum salute Deum orauerint.

Quas Indulgentias omnes Paulus V. P. M. tribus diplomatibus siue Bullis contulit. 23. nempe Augusti 1605. 2. Octob. 1606. Pontificatûs sui anno 2. & 1. Februar. 1611.

Paragr. 12.

Sixtus IV. concedit diebus D. Augustino, D. Nicolao Tolentinati, ac D. Monicæ sacris, Indulgentiam plenariam Sodalibus omnibus, ecclesiam Augustinianã illis diebus visentibus, confessis, & delicta sua solidè mœrentibus, ac quinies Orationem Dominicam, totiesque Angelicam Salutationem repetentibus.

Paragr. 13.

Sixtus IV. Leo X. Gregorius XIII. ijsdem conferunt plenarias Indulgentias, prin-

principalibus Virginiſ-Matris feſtiuitatibus; putà Conceptionis, Natiuitatis, Purificationis, Annuntiationis, Viſitationis, & Aſſumptionis; ſi eodem die templum Auguſtinianum piè viſitauerint, & cum ſerio peccatorum dolore, animæ pondus depoſuerint. Sixtus IV. & Leo X. dictas Indulgentias illis concedunt ſingulis Quadrageſimæ Sabbathis.

Paragr. 14.

Gregorius XIII. plenariam illis dat Indulgentiam, & delictorum omnium remiſſionem, quoties ſolemni ſe Proceſſioni, quæ perpetim, quartâ menſis Dominicâ, adornatur admiſcuerint, præmiſsâ dolenti peccatorum Confeſſione, & adiunctis pro conſeruatione Sacroſanctæ Sedis, & hæreſeon extirpatione obteſtationibus.

Paragr. 15.

Innocentius VIII. donat illis Indulgentiam plenariam, quotieſcunque ſacrâ ſe Corporis Sanguiniſque Dominici communione reficiunt.

Paragr. 16.

Iulius II. & Leo X Indulgentiâ illos mactant plenariâ, dum recitant coronam, ſiue

Roſa-

Roſarium redemptoris noſtri Ieſu, 33 Orationibus Dominicis totidemque Salutationibus Angelicis conſtantem, in memoriam annorum quos in terris viuens expleuit. *Bulla Leonis X. extat apud Confeſtum.*

Paragr. 17.

Ijſdem Indulgentijs donantur euoluentes Roſarium Parientis Virginis, ſeptem Dominicas precationes, & 72 Angelicas Salutationes complectens, in recordatum totidem quos vixit annorum, fini annectentes vnicum *Aue Maria*, ad ſummi Pontificis Indulgentiarum præbitoris intentionem. Vltimæ ſenectutis homines ac decrepiti, ad decurrendum integrum Roſarium impotes, eaſdem Indulgentias conſequuntur, Pſalmum quempiam, Hymnumúe ad honorem Dei, aut genitricis eius lectitantes. *Bulla Leonis vt ſuprà.*

Paragr. 18.

Leo X. offert plenariam Indulgentiam Officium Defunctorum, aut Pœnitentiales ſeptem Pſalmos pro animabus in Purgatorio lacu preſſis dicentibus.

Paragr.

Paragr.19.

Indulget quoque Sancta Sedes, vt potiantur omnibus Indulgentijs alijs Ordinibus concessis, adimplendo ante altare Sodalitatis ea quæ Bulla præscribit, adæque ac si personaliter alias visissent Ecclesias, quibus particulatim fuerant collatæ.

Paragr.20.

Etiam Greg. XIII. Bullâ qua sic incipit: Cum sicut accepimus, dilecti, &c.

Præter hactenus dictas gratias & Indulgentias omnes, quas Pontifices Max. concessêre, conceduntque omnibus vtriusque sexûs Religiosis, Sodalibusque Zonigeris gloriosi Patris nostri Augustini, Eugenius IV. efficit illos participes omniũ spititualiũ bonorum, quæ in ordine nostro per mundum vniuersum exercentur, vtpote Missarum, Psalmodiarum Canonicarum, concionum, precum, meditationum, ieiuniorum, ciliciorum, peregrinationum, obedientiarum, disciplinarum, & id genus aliorum meritorum particularium, quibus toto orbe dicti Ordinis Fratres ac Sorores occupantur.

Paragr. 21.

Sixtus IV. Innocent. VIII. Iulius II. Leo X. Clemens VII. pluresque Pontifices alij effundunt in Sodales nostros omnes Indulgentias Romæ, Hierosolymis, Compostellæ in S. Iacobi, pijsque locis alijs collatas, ac si personaliter huiusmodi loca visitarent, dummodo eo die, quo indulgẽtijs frui placuerit, genibus flexis quinies *Pater noster*, ac toties *Aue Maria*, ad honorem Dei, Deique matris, piè dixerint ante tria (si mōdò sint) altaria, quæ Prior in Ecclesiâ suâ designauerit, appendendo dictis precibus subsequentem hanc Collectam: *Deus omnium fidelium Pastor & rector famulum tuum N. quem pastorem Ecclesiæ tuæ praeesse voluisti, propitius respice; da ei quæsumus verbo & exemplo quibus praeest prōficere, vt ad vitam vna cum grege sibi credito perueniat sempiternam.* Qui verò lectionis imperiti fuerint, dicant *Salue Regina*, aut quinies *Aue Maria*: porrò omnia pro augmento Ecclesiæ, ac conseruatione beatissimi Patris tunc canonicè sanctæ, Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ præsidentis.

Indulgentiarum tam plenariarum, quàm non plenariarum prædictis pijs locis Hierosolymorum, Romæ, Compostellæ, alibi con-

concessarum tanta copia est vt solæ prælum occupare valeant: Verùm prolixitatis vitandæ gratiâ, & quoniam antehac sæpiùs typis euulgatæ sunt, concinnabimus dumtaxat sequenti capite earum aliquot magis præcipuas, cum annotatione mensium, dierumque anni, in quos incidunt hæ indulgentiæ, idque ad ampliorem rei illustrationem.

Licitum est ad hæc Sodalibus semel in vitâ, atque etiam in mortis discrimine constitutis eligere sibi Confessarium seu Regularem, seu laxioris vitæ Sacerdotem, à quo ab omnibus censuris, & quibuscunque peccatis, cum plenariâ Indulgentiâ absoluantur.

Ioan. *Bapt. Gratianus Bononiensis Summariâ Indulgentiarum Zonigeris concessarum.*

CAPVT

CAPVT XXX.

Indulgentiæ toto anno Romanæ vrbis ſtationes viſentibus conceſſæ, & cum Zonigerâ hac Sodalitate communicatæ, modò ſingulis diebus quibus illæ contribui ſolent, Sodales recitent quinies Dominicam Orationem, & toties Angelicam Salutationem ante tria templi Auguſtiniani altaria, attexendo ad finem: Deus omnium, &c. *vel* Salue Regina, *aut quinies*, Aue Maria.

Paragraphe prima Indulgentiarum menſis Ianuarij.

Indulgentiæ plenariæ Calendis Ianuarijs, dicendo 5. *Pater noſter*, 5. *Aue*, ante tria Altaria, vt ſuprà.

In Epiphaniâ Dominicâ, perque Octauas, plen. 16. Menſis D. Marcello Pontifici & Martyri ſacro, plen. 17. D. Antonij Abbatis feſto, plen. 20. D. Sebaſtiani, plen. 21. S. Agnetis, plen. 22. SS. Vincentij & Anaſtaſij, plen. 25. Conuerſionis S. Pauli, plen. 27. S. Ioannis Chryſoſtomi, plen. 31. plen.

Paragraphe secunda, Indulgentiarum in Februario concessarum.

2. Purificationis B. Mariæ Virginis die Indulgentiæ plenariæ, dicendo, vt suprà quinies *Pater noster, &c.* plen. 22. Cathedræ Principis Apostolorum, plen. 24. D. Matthiæ festo, plen. Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ. plen.

Paragraphe tertia Indulgentiarum, Martij.

Indulgentiæ plenariæ in festo D. Thomæ Aquinatis 7. mensis die, dicendo 5. *Pater noster, &c.* vt suprà. 12. S. Gregorij Papæ, plen. die 20. mensis; dicendo ea quæ suprà, plen. 25. Annuntiationis Deiparæ.

Paragraphe quarta Indulgentiarum Quadragesimalium.

Die Cinerum, Indulgentiæ plenariæ. Dominicâ primâ Quadragesimæ, plen. Diebus Iouis, Veneris, item Sabbathinis, plen. Omnibus totius Quadragesimæ: plen. Dominica IV. Quadragesimæ, plen. Sabbatho post Dominicam V. Quadragesimæ

ſimæ, plen. Dominicâ Palmarum, plen. Diebus Martis, Mercurij, Paraſceues, plen. Die Reſurrectionis Dominicæ, ſiue Paſchatis, cum ſubſequentibus diebus Lunæ, Martis, & Iouis, plen. Dominicâ primâ poſt Paſcha. plen.

Paragraphe quinta Indulgentiarum Aprilium.

5. Aprilis Indulgentiæ plenariæ, dicendo 5. *Pater noster*, *&c.* vt ſuprà. 23. glorioſi Martyris D. Georgij, plen. 25. D. Marci Euangeliſtæ, plen.

Paragraphe ſexta Indulgentiarum menſium Maij, Iunij, & Iulij.

Qualibet Dominicâ Maij Indulgentiæ plenariæ, dicentibus 5. *Pater noſter*, *&c.* vt ſuprà. Calendis Mais, Natalitijs SS. Philippi & Iacobi ſacris, plen. 3 Inuentionis Crucis Dominicæ, plen. 4. Solemnitatis S. Matris Monicæ, plen. 6. S. Ioannis ante portam Latinam, plen. 14. dicendo vt ſupra, plen. 20. plen.

Notandum quod à die vigeſimo Maij. vſque ad Cal. Auguſtas ſint indies plenariæ Indulgentiæ in Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis, quas omnes promereri poſſunt So-

dales noſtri legendo quolibet die 5. *Pater noſter*, & toties *Aue.* ante tria Altaria templi Auguſtiniani, addendo in fine *Deus omnium, &c.* vel *Salue Regina*, aut iterum 5. *Aue Maria.*

Paragraphe ſeptima Indulgentiarum Auguſti.

Calendis Auguſti, feſto Vinculorum D. Petri Indulgentiæ plenariæ, 3. Inuentionis D. Stephani, plen. 4. S. Dominici, plen. 5 plen. 6. plen. 10. & 12. plen. In ſolemnitate Aſſumptæ in cælum Deiparæ, & per Octauam, plen. 19. D. Ludouici feſto, plen. 28. ſolemnitatis D. P. N. Auguſtini, plen. In feſto D. Bartholomæi, & Decollationis D. I. Baptiſtæ, plen.

Paragraphe octaua Indulgentiarum Septembris.

Die Septembris octauo: Natiuitatis B. Virginis, Indulgentiæ plenariæ. 10. D. Nicolai Tolentinatis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini feſto, plen. 14. Exaltatæ S. Crucis, plen. Diebus 29. & 30. DD. Michaeli & Hieronymo ſacris; plen.

Para-

Paragraphe nona Indulgentiarum Octobris.

Die 4. Octobris, festo D. Francisci, & octauâ solemnitatis eius die: Indulgentiæ plenariæ: dicendo 5. *Pater noster, &c.* vt suprà. 18. D. Lucæ, plen. 28. DD. Simonis & Iudæ, plen.

Paragraphe decima Indulgentiarum Nouembris.

In festo omnium Sanctorum, & postridie; Indulgentię plenariæ dicendo supra dicta. Die 9. mensis, plen. Vndecimâ, plen. Decimâ octauâ, plen. Vigesima 1. 2. 3. plen. Die 25. D. Catharinæ, plen. 30. S. Andreæ, plen.

Paragraphe vndecima Indulgentiarũ Septembris.

Primâ, secundâ, tertiâ, & quartâ Dominicâ Decembris Indulgentiæ plenariæ, dicendo 5. *Pater noster, &c.* vt suprà. Die 2. mensis, plen. 6. In festis DD. Nicolai, pl. 7. S. Ambrosij, plen. 10. Conceptionis Deiparæ, & per totam Octauam, plen. 13. In festis D. Luciæ, plen. 21. S. Thomæ Apostoli, plen. In peruigilio ac die Natalis Domini: Festis D. Stephani. S. Ioan-

nis Euangelistæ. Et SS. Innocentium, plen.

Prid. Calend. Ianuar. festo D. Siluestri, legendo ea quæ supra sæpiuscule repetita sunt, 5. nimirum *Pater noster*, & *Aue Maria, Deus omnium*, & *Salue Regina*, aut rursus 5. *Aue Maria.*

Paragraphe duodecima Indulgentiarum Sodalibus à Sede Apostolicâ collatarum in subsidium animarum Purgatorio immorantium.

Leo X. indulget omnibus Sodalibus zonæ Augustinianæ liberationem vnius animæ ab purgantibus ignibus diebus infrascriptis, legendo septem Psalmos pœnitentiales: aut quinis vicibus orationem Dominicam, cum totidem Salutationibus Angelicis, ante aram pretiosi Corporis ac Sanguinis IESV Christi custodem, in templo Augustiniano, annectendo D. Virginis rosarium eodem die euoluendum, pro salute Romani Pontificis.

Sabbatho Dominica Palmarum proximè præcedente.

Sexta Maij, D. Ioannis ante portam Latinam.

Vigesimâ 7. Decembris, festo D. Ioannis Euangelistæ.

Con-

Concedit vlteriùs Sedes Apoſtolica omnibus Sodalibus: poſſe animam vnam Purgatorio eripere, diebus infrà determinatis, viſitando D. Auguſtini Eccleſiam, dicendoque ante altare à loci Priore deſtinatum quinies precationem Dominicam, ac toties Gabrielis Salutationem, fini eius adijciendo Collectam: *Deus omnium fidelium*, aut *Salue Regina*, vel, ſi legere non calleant, repetendo rurſus *Aue Maria*, pro ſanctiſſimæ Sedis conſeruatione.

Dominicâ Septuageſimæ.

Die Martis poſt Dominicam primam Quadrageſimæ.

Tertiâ, quartaque Dominica Quadrageſimæ.

Die Veneris, & Sabbathi ante Paſcha.

Item die Mercurij poſt illud.

Sextâ Maij.

Diebus Iouis & Sabbathi ante feſtum V. Sacramenti.

Paragraphe decimâ tertiâ in differentium aliquot Indulgentiarum collatarum tam iis qui huic Sodalitati nomen dedêre, quàm qui non dedêre.

Alexander IV. largitur centum dierum Indulgentias ijs, qui piâ mente interſunt Miſſæ ſacrificio per Religioſos S. Auguſtini celebrato.

Item totidem dies ijs, qui lectioni Canonicarum Horarum ibidem præsentes se statuunt.

Clemens IV. totidem dies Indulgentiarum præbet visentibus Ecclesiam D. Augustini anniuersario dedicationis eius die, & similiter per Octauas.

Leo X. dat plenariam Indulgentiam omnibus qui se curant sepeliri in habitu Eremitarum D. Augustini.

Idem omnibus legentibus subiectam orationem indulget veniam erratorum ex fragilitate in Horarum Canonicarum recitatione commissorum, & adiungentibus in fine semel Dominicam precationem, cum Angelicâ Salutatione, pro Ecclesiæ tranquillitate, & salute Pontificis.

ORATIO.

SAnctissimæ Trinitati ac indiuiduæ vnitati, crucifixæ Iesu Christi Domini Nostri humanitati; & beatissimæ ac gloriosissimæ Virginis Mariæ fœcunditati, atque integritati. Et omnium Sanctorum vniuersitati: sit sempiterna laus, honor, virtus, & gloria, ab omni creatura, nobisq; remissio peccatorum, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Et beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni patris filium: & beata vbera quæ lactauerunt Christum Dominum. Pater noſter. Aue Maria; ad ſupradictam intentionem.

Paulus III. plenariâ impertitur omnes Indulgentiâ, qui ſub veſperę audito Salutationis ſigno, ſe in genua proſternẽtes dicunt ad 1. ſonũ *Angelus Domini nuntiauit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto.* Aue Maria, &c. Ad ſecundum. *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Aue Maria, &c. Et ad tertium: *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Aue Maria. *Ac dein Collectam.*

Gratiam tuam quæſumus Domine mentibus noſtris infunde, vt qui Angelo nuntiante Chriſti filij tui incarnationem cognouimus, per paßionem eius & crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Salutationis huius feruidus eſt vſus in Itaiiâ adeò, vt ad primulum æris Campani murmur, quilibet eueſtigiò quocunque loco fuerit, imò in medijs etiam plateis, voluatur in genua, ſupraque dictas precatiunculas recitet; & perquam laudabile foret certè, ſi eadem hæc praxis inter nos Belgas tantopere vigeret.

Complures aliæ Indulgentiæ Dei famulis

mulis in fauorem Religiosorum Ord. S. Augustini collatæ sunt, vt videre licet in impresso earum catalago, quam R. P. F. Simplicianus Bononiensis procurauit in gratiam Zonigeræ Sodalitatis eiusdem Vrbis: quæ quidem omnes oraculo Clementis VIII. confirmatæ sunt, attestante hoc eius Bullâ datâ Romæ VIII. Ianuarij 1600. & initio eiusdem Catalogi præfixâ. Ac interiecto deinde tempore auctoritate Gregorij XV. quod ex subiecto diplomate clarescit.

GREGORIVS

EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

INIVNCTI nobis Apostolici muneris ratio postulat, vt Archiconfraternitatum quarũlibet curam gerentes, pri-

priuilegia,gratias,Indulgentias, facultates, & indulta illis à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris & Apostolicâ Sede concessa, quò validiùs perpetuò subsistant, Apostolicæ confirmationis munimine roboremus, illaque de nouò concedamus,prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilectorum filiorum Marci Antonij Viani Professoris Ord. Erem. S. Augustini, Custodis, ac Rectoris,& Officialium Archiconfraternitatis Cincturatorum & Cincturatarum nuncupatæ, eiusdem S. AVGVSTINI, & S. MONICÆ, sub inuocatione B. Virginis MARIAE de Consolatione nuncupatæ; in Ecclesia S. Iacobi Bononien. canonicè institutæ, petitio continebat; quod dudum eidem Archiconfraternitati, & Confraternitatibus ei legitimè aggregatis,diuersa priuilegia, gratiæ,& indul-

dulgentiæ à fel. rec. Gregorio XIII. & Gregorio XIV. ac diuersis alijs Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, concessa, ac illis de licentia, à piæ mem. Clemente Papa VIII. etiam prædecessore nostro, habita, in lucem editis ac impressis, Archiconfraternitas, & Confraternitas prædictæ, ac earum Confratres vti, & gauisi fuerunt. Cùm autem, sicut eadem petitio subiungebat, Marcus Antonius, & Rector, ac Officiales præfati plurimum cupiant, eadem priuilegia, gratias, & Indulgentiás, ad hoc, vt in posterum firmiùs subsistant, nostro, & Sedis Apostolicæ patrocinio communiri, pro parte eorundem Marci Antonij, & Rectoris, ac Officialium. Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus priuilegia, gratias, & Indulgentias huiusmodi approbare, & confirmare, aliasque in præmissis opportunè prouidere, de benignitate Apostolica digna-

dignaremur. Nos igitur, qui Christi fidelium quorumlibet deuotionem, & religionem vigere sinceris desideramus affectibus, Marcum Antonium, & Rectorem, ac Officiales præfatos, eorumque singulos, ac Archiconfraternitatis huiusmodi singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes: nec non singulorum priuilegiorum, indultorum, gratiarum, & Indulgentiarum huiusmodi, nec non litterarum desuper confectarum, tenores etiam veriores, ac Dat. præsentibus, & pro expressis habentes, & huiusmodi supplicationibus inclinati omnia, & singula priui-

priuilegia, Indulgentias, prærogatiuas, facultates, gratias, & indulta quæcumque eidem Archiconfraternitati, siue alijs quorumcumque locorum Confraternitatibus ei debitè annexis, & illius, siue illarum vtriusque sexus Confratribus Cincturatis, pro tempore existentibus, tam per Greg. XIII. & XIV. quàm quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, quandocumque, & quomodocumque etiam per viam, & modum extensionis, ampliationis, & communicationis, ac alijs sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis hactenus quomodolibet concessa, & aliquando reuocata, ac sub quibusuis reuocationibus, suspensionibus, restrictionibus, limitationibus, ac modificationibus, auctoritate Apostolicâ, etiam quandocumque, & qualitercumque factis, comprehensa, decretis tamen Trident. Concil.

non

non repugnantia, nec non litteras desuper emanatas, eadem auctoritate, tenore præsentium, perpetuò approbamus, & cõfirmamus ac innouamus, eisq; perpetuæ, & inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, & nihilominus pro potiori cautelâ, illa omnia, cùm eorum extensionibus, ampliationibus, & communicationibus prædictis, denouo etiam perpetuò concedimus. Decernentes præsentes, & desuper conficiendas litteras semper, & perpetuo validas & efficaces esse, & fore, neque sub quibusuis similium, vel dissimilium gratiarũ, Indulgentiarum reuocationibus, suspensionibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, & per Nos, vel alios Romanos Pontifices successores nostros, etiam in crastinum assumptionis eorumdem successorum ad summi Apostolatus apicem, sub quibuscumque verborum expressionibus, & formis,

etiam

etiam motu proprio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, pro tẽpore quomodolibet factis, cõprehendi, vel cõfundi, sed tanquàm pro piorũ operũ augumento, semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenariè redintegratas, ac denouo, & sub quocumque posteriori Dat. per Custodem, & Rectorem, ac Officiales dictæ Archiconfraternitatis nunc, & pro tempore existentes, quandocumque eligenda concessas esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere. Sicque per quoscunque Iudices, & Commissarios, & Delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam causarũ Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vicelegatos iudicari, & diffiniri etiã debere, irritũ quoque, & inane quicquid secus, super his, à

quo-

quocũque, quauis auctoritate sciẽter, vel ignoranter, contigerit attẽtari. Non obstantibus Apostolicis, ac in prouincialibus Concilijs editis generalibus, & specialibus Constitutionibus, ac Ordinationibus, ac quibusuis suspensionibus, reuocationibus, ac restrictionibus, cæterisq; contrarijs quibuscũque. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam nostræ absolutionis, approbationis, cõfirmationis, innouationis, roboris, adiectionis, concessionis, ac decreti, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ, Apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXI. tertio Non. Iunij Pont. nostri Anno Primo.

I. Prata pro Rescrib. *F. Iulianus.* *A. Socrsouius.*

Do. Monach. N. *Poursardus.*

CAPVT XXXI.

Dignitas Sodalitatis ex facilitate potiundi spiritualibus prouentibus illi indultis, & perexiguâ reciprocæ actionis debitione.

VT collatæ huic Sodalitati gratiæ, Indulgentiæque obtineantur, annotandæ sunt Sodalibus aliquot, sed haud arduæ obligationes.

Quatuor potissimæ obligationes Sodaliũ. Primò; requiritur, vt expiatis culpis, cum Deo fiat in gratiam regressus. Homo enim mortiferis innexus, non est capax Indulgentiarum.

Secundò; circumuinciendi sunt renes subcingulo à Cœnobiarchâ, aut alio Patre auctoritatis istius compote.

Tertiò; incumbit Sodalibus recitare quoquo die ter & decies digestam à Domino precem, & toties, digestam ab Angelo Salutationem, ad honorem Dei, & duodecim Apostolorum: cum auctario Antiphonæ *Salue Reginæ*, vel, si quis illam ignoret, subijcere quinies *Aue Maria*, ad eiusdem honorem, Ecclesiæ requiete, summique Pontificis salute. Vt patet è Bullâ Gregorij XIII. sic incipiente: *Cùm sicut accepimus, dilecti filij Confratres vtriusque sexus Confraternitatum*

nitatum Corrigiatorum nuncupati S. Augustini, vt frui & gaudere poßint indulgentijs, & participes fieri omnium gratiarum spiritualium Ordini ipsius S. Augustini concessarum, omniumq; bonorum quæ in dicto Ordine pro tempore fiunt, inter alia teneantur, quotidie recitare tredecim *Pater noster*; & totidem *Aue Maria*; & vnum *Salue Regina*, pro salute Rom. Pontificis, ac felici successu sanctæ Matris Ecclesiæ, *&c.*

Quartò; necessum est admiscere se religiosæ processioni, quæ quartâ cuiusq; mensis Dominicâ, in templis Augustinianis adornatur, præferuidis oratis Deum obsecrando, vt laboranti Ecclesię subsidiari, hęreses eruncare, Christianis Principibus animorum coniunctionem amet inspirare.

Præter has, sunt aliæ nonnullæ particulares Romanorum Monarcharum conceptionibus iniunctæ: lectiones videlicet præstituti numeri Orationum Dominicarum, Angelicarum salutationum & id genus aliarum; super quibus anteriora sunt respicienda.

CAPVT XXXII.

Breues aliquot paraphrases in Orationem Dominicam, quam Sodales tenentur ter denis vicibus quotidie iterare, vt eo stimulo rudiorum pietas excitetur.

DOminicam precationem anteſtare quibuslibet alijs, ex eo liquet, quod ipſum Chriſtum Ieſum auctorem,& ad inſiſtendum huic in orando formulæ præceptorem vindicet. Attamen quò res tota planior fiat: proderit his Sancti Patris noſtri Auguſtini dictis animum adijcere: *Si per omnia precationum ſanctarum verba diſcurras, quantum exiſtimo nihil inuenies quod non iſta Dominica contineat & concludat Oratio.*

Epiſt. 121

Breuicula paraphraſes in Orat. Domin. pro rudiorib9.

Imprimis, *Patris*, titulo Deum compellamus, captandæ illius beneuolentiæ cauſſâ, illique perſuadendi, vt deſiderij noſtri nos fructu beare peruelit. *Pater noſter* eſt, quia creauit nos. *Pater* eſt, quia nos in ſtatu tuetur & firmat. Nam abſque eo eſſet, in nihilum reſolueremur. *Pater noſter* eſt, quia nos per ſaturam probris Paſſionem, quaſi refecit. *Pater noſter* eſt, quia per potentiam, ſapientiam, iuſtitiam, immodicam miſericordiam ſuam, nos moderatur. *Pater noſter* eſt;

est; quia nos ceu liberos educat, intus cælitibus inspiratibus, extus scripturis diuinitus, & creatorum ministerio suggestis. *Pater noster* est, quia offensas nostras flagris expiat, vt correcti beneuolentiæ illius restituamur. *Pater* deniq; *noster* est, quia in hæreditatem spopondit nobis incomprehensibilem æternæ vitæ felicitatem, si opera liberis frugi digna in effectum perduxerimus. Quandoquidem ergo his de causis *Pater noster* est; paterno eum honore suspicimus & suscipimus, dicentes: *Pater noster.* Quæ verba hunc sensum habent: Filij tui sumus, ô misericors Deus; tu verò Pater noster es; fierine queat, vt filium pater, obterat obliuione? an panem suspiranti offeret lapidem? piscem esurienti, tribuet scorpionem? *Pater* igitur *noster* es, qui misericordiâ & bonitate, terrestres omnes patres anteuertis, supplicibus tuis hodie fauens suffragium accommoda. Cæterùm, misericordiarum illum patrem duo dumtaxat generaliter poscimus, quę summatim comprehendunt, quidquid in hoc mundo auere mens sinceri Christi IESV famuli queat; idque hoc ordine, qui in ritè precando pernecessarius est.

Duæ petitiones primariæ quæ reliquas septem in se cōcludunt.

Duo hæc principalia in terris desideria sunt: vt lautum ac protensum aliquod bo-

num à Deo impetretur, & ab omni malorum ſorte eiuſdem præſidio defenſemur. Bonum, ad quod deſiderii noſtri vergit orexis, eſt finis vltimus, ſiue, cornu copiæ cæleſtis, nempe, Deus ipſe; quod vtique bonum bifariè poſtulatur. Primò enim, inhiamus hîc bono huic ipſius Dei reſpectu, gloriam eius pergliſcere diſcupientes. Hoc autem primâ fit petitione: *Sanctificetur nomen tuum.* Cuius hæc medulla eſt: Non ignoramus Domine Deus, nomen per ſe tuum eſſe affatim ſanctificatum, deſiderij tamen noſtri ſumma eò tendit, vt quantum ad nos attinet, fiat ſanctificationis eius etiam in nobis acceſſio; tanquam cum Vate regio dicamus: *Deus in nomine tuo ſaluum me fac.*

Prima Dominica orationis petitio.

Pſal. 53.

Secundò; gaudio etiam boni illius perfrui geſtimus, quod & ſecundâ petitione pródimus, dicentes: *Adueniat regnum tuum;* quod eſt: Non ſufficit nobis, ô Deus, inconcuſſâ fide credere, eſſe tibi perpes regnum, ſed quoniam liberi ſumus tui, tu vero legitimus Pater, hoc nobis regnum recepiſti, etiam te atque etiam obteſtamur, fac vt illud quantocyus nobis cedat; proinde: *Adueniat regnum tuum.*

Petitio ſecunda orat. Dominica.

Et quoniam vt quis ſpecioſum hoc regnum obtineat, modi rationeſque requiruntur; primatum inter eas obtinent comprimis

primis duæ, quæ ſolæ ſufficiant, vt nos eo viam muniant. Quarum prior tertiæ petitioni intexitur. *Fiat voluntas tua.* Quæ ſic ſonare videntur: Spopondiſti quidem nobis, æterne parens, miſericordiæ inſtinctu tuum, vt veris hæredibus regnum; ſed quandoquidẽ non datur liberis adire patriam hæreditatem niſi ſe eius voluntati attemperarint, omneſque cogitationes in placendi illi ſtudio poſuerint, hinc noſtræ preces, quibus te rogatum cupimus, vt ſufficias nobis donum tibi auſcultandi, tuáque iuſſa exequendi, eâ promptitudine in hoc mundo, quâ indigites faciunt, quos iamnunc tui regni participaſti. *Fiat* (ergo) *voluntas tua.* *Tertia petitio.*

Quartæ petitioni altera princeps ratio implectitur cùm dicitur: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Lubitum eſt quidem nobis, ô miſericors genitor, placitumq́ue, vt in omnibus, & ex integro ſanctiſſimæ voluntati tuæ mos geratur, ſed quoniam vita hæc miſeriarum officina, tam fertilis eſt neceſſitatum, vt obſtaculorum myriadibus nobis obluctetur, ſuppedita, quæſo, nobis cùm ſpiritualia tùm corporalia in præſenti vitâ fomenta, quibus & illa nutriatur, & æterna pariatur, eorumq́ue robore ſuffulti in actionibus *Petit. 4.*

cunctis ad gnomonem tuæ volentiæ flectamur.

Tribus petitionibus postremis, Deum poscimus, vt procellere illi complaceat impressiones omnes, & impedimenta, quæ nos hoc regno abarcendi vim habent. Sunt autem tria; quorum dux est peccatum, quod aditum nobis omnem pertinaciter obsepit: nam (Paulino oraculo) *Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poßidebunt.* Dicentium ergò: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* hæc sententia est: Penitiùs scrutaris, ô Pater æterne, infirmitatem nostram, quàm nosipsi. Scis nos tam lubricos inq; ruinam pro-
Prou.24. nos esse, vt etiam *iustus septies in die te offendat.*
1.Ioan.1. Non te fallit, quòd ex doctrinâ delicioli tui Ioannis, mendax sit, qui à peccato se purum iactitat. Cognitum est tibi, non posse nos flagitijs suffarcinatos regiam tuam subire, ideoque vt peruius fiat nobis eius introitus, *Demitte nobis debita nostra*, protestantibus, ignoscere nos medullitùs iis omnibus qui nos vllâ vnquam offensione vulnerarunt.

Alterum malorum, quod nostro in aulam

Iam ſuperam ingreſſui remoram inijcit, eſt tentatio, quâ nos implacabilis fatalium hoſtium noſtrorum triga iugiter inſultat. In quam ſextâ obarmamur petitione, dicimuſque: *Et ne nos inducas in tentationem.* Hoc nempe ſenſu. Tu quidem, ô miſericordiarum Pater, noſtri exercitij cauſſâ habenas interdum parti nobis aduerſæ remittis, vt mille nos modis exagitet diuexetque, pro quâ re, etiam gratias tibi debemus. Verùm, quandoquidem noſtræ ad reſiſtendum vires impares ſunt illorum artibus, verſutijs, incurſibus, panurgijs; & hinc bona mortalium pars victa ſuccumbit, ſupplicamus, vt è duobus alteri ſaltem aſſentiendo, tentatrices has furias procul abigas, aut ſi ſtat animo, nos hâc in palæſtrâ defatigare, vires immitte, quibus nos tam acriter atque alacriter defendamus, vt inimicis nunquam detur occaſio gloriandi, *Præualui aduerſus eum.* *Pſal 12.*

Malum tertium eſt pœna temporalis, quam nobis infligit, perpetique vult Deus, quoad miſeriarum huic valli infigimur. Quam vt amoliamur, ſeptimâ precatione dicimus: *Sed libera nos à malo.* Hoc eſt: O Pater miſericordiæ, & Deus totius conſolationis: qui

regiâ maiestate modò fulges in celis; adijce pietatis tuæ oculos miserrimis miserijs quibus attrita soboles tua obruitur. Verum quidem est Domine, quod Apostolico labro dixeris *castigare te eum quem diligis.* Non sumus inscij, quin è præfractâ hâc quâ nos corripis afflictione elicere coneris grande aliquod emolumentum, tam ad numinis tui splendorem, quàm ad patientiæ nostræ stadium, callemq; ad tuum regnum minus confragosum; sed refer ad memoriam, misericordissime Pater, nos abhinc annis quamplurimis, his molestijs insenuisse. Ne obliuiscere, cereæ nos ac vitreæ conditionis esse, ac proinde, formidandum ne impatientiæ impulsu, spe decidamus. Aut igitur nos his pressuris atque angoribus exime, aut neruosâ nos saltem muni constantiâ, cuius opposítu, quidquid aduersum nos furit infortunitatis, æquanimes deuoremus.

Heb.12.

Libera nos à malo, nō suppliciorum dumtaxat cum tempore periturorum, quibus icimur in hoc mundo; sed libera nos potissimùm à malis æternis, quibus apud inferos infelicia mortalium reiectanea distorquentur.

Serm. de S. Victore.

Memorat D. Bernardus, S. Victorem audisse bonos Genios in aëre sonorâ voce

Oratio-

Orationem Dominicam modulantes. Cæſarius verò gregalem quendam militem, ob turbellas vſpiam motas cenſurâ cuiuſdã viri nobilis patibulatum, continuo triduo viuum in cruce perduraſſe, quod precationem Chriſtianam mẽte percurreret, quam verſâ in morem pietate quinies quouis die repetebat.

Anton. d'Auer. tom. 1. Flor. exemp. c. 2. tit. 2. Cæſar 1. Miracul. Orationis Dominicæ. 2. Mirac.

Contemplatione hauſtus quidam ſpectatę ſanctitatis Epiſcopus æſtimauit ſe videre pumilum in quodam gurgite hamo aureo piſcibus inſidiantem, vnde formâ & genere præſtantem eliciebat feminam; ſed à ſomno, percepit puſionem quendam ad matris ſuæ fato pronuper functæ buſtum precibus intendi; qui quid muſſitaret, rogatus pro parentis (inquit) animâ, Dominicam orationem. Didicit ergò ſomnorinâ hâc imagine Epiſcopus, puellum eâ prece maternos manes è purificanti rogo protraxiſſe.

Relatione S. Gregorij Turonenſis enotuit, ſanctum Caluppam peſſimè à Diabolo nunc anguis, nunc draconis formam induente mulctatum, non inueniſſe præſentius ſubſidium, quàm corde pariter & ore Dominicam Orationem voluere.

Energumenus quidam (ait Hierony- *Lib. 1. de*

mus

bono stat religiosi c. 31.

mus Plat S. I. Presbyter) exorcismo compulsus retulit, adfuisse se cum quindecim millibus alijs suis congregibus Cunoni vitæ terminum claudenti: qui ab annis quadraginta minùs integrè vixerat: ast operam perdidisse, quòd Cunon pœnitentiæ gratiâ in ascetico secessu occultatus, & adiutus ingenti Monachorum consessu Orationem Dominicam in exitu eius ingeminantium, potentiam eorum eluserat & eliserat.

Pluria huius notæ exempla applicari facillimè queant, quæ quidem quàm sit salutare hanc Orationem crebriter recitare, contestentur.

CAPVT XXXIII.

Angelica, quam Sodales decies ter legendo resumunt, Salutatio, (quidquid oblatrent canes hæreticæ) efficaciâ præstans precatio est.

QVæ vt singulo die ter deciesque proferatur, omninò necessum est. Non me fugit, quàm impatienter id ferat nostro hoc sæculo rabiens hæreticorum vulgus.

Calui-

Caluinus ſentit, ſuperſtitioni proximum eſſe alterius ſe in munus ingeſtum ire; & vni vnicoque Angelo Gabrieli iniunctum eſſe, hoc ſalutandi præſcripto diuam Virginem compellare, nullo autem nos colore nobis arrogare quotidianam hanc ſalutationem.

Graue eſt Hæreticis Aue Maria: & hinc quadruplex eorum, in Catholicam hāc Salutationem cauillatio.

Superſtitionem quoque redolere, abſentem ſalutare, ſed actum eſſe maleficis, & incantatoribus proprium. Sunt qui cenſeant, ſalutationem hanc precationem non eſſe; ineruditam tamen plebeculam opinari, hâc ſe Virgini ſupplicare.

Non deſunt obgannientes, quòd, quidquid ſit, non ſit: neque venuſtam, neque vrbanam eſſe; eiuſdem ſermonis, quiſquis ille fuerit, tam crebram repetitionem. Sed non auocabunt nos illorum blateratus, ab emedullandâ Chriſticolis huius ſalutationis energiâ, quòd eò fiet expeditiùs, ſi priùs obſtreperas has fauces obſtruxerimus. Quid ergò, effutis Apoſtata? quid blatis iurate Mariani nominis aduerſarie? arrogare nos nobis Gabrielis officium dicendo: *Aue Maria*? Itane verò? Quotâ, ſodes reformatæ Ephemeridos veſtræ pagellâ in-

Angelica Salutatio propugnatur aduerſum hæreticos, & aſininus illorum ſtupor aperitur

interdicitur omnibus (vnico Gabriele excipuuo) inclytæ huius ſalutationis prolatio? Neſcis Athanaſium ornatiſſimum Eccleſiæ Doctorem (niſi fortè ſcripta eius neglexeris) nuncupare ſalutationem Angelicam: *Hymnum ſplendidiſſimum & capaciſſimum* qui incinitur in arce cælicâ ad Archinymphæ ſplendorem ab omnibus cæleſtis hierarchiæ phalangibus? Si te hæc non latent, quâ fronte garrire præſumis, falcem nos noſtram alienæ meſſi immittere? Si ſuperis familiaris ac ſolemnis eſt hæc ſalutatio, quid nobis inferis eius venerationem euellis? Si item Raphael, ſalutem Tobiæ nuntiarit his vocibus: *Gaudium vobis ſit, pax vobis.* ideóne audeas illum nuncupare vſurpatorem Angelici muneris, qui iiſdem Chriſtianum fratrem ſuum ſaluere iuſſerit? Non ſumus vſurpatores dicendi, tuo Caluine iudicio (conuitio potiùs) ſed imitatores tam eximiæ ſalutationis, quæ ad virginem cælico internuntio defluxit: hoc argumento palàm facientes canendarum laudum eius in terrâ cupidinem, à cuius præconio nulla requies eſt in cælo.

Cæterùm quid affricas nobis, Caluine, deridiculam hanc ſtoliditatem; vt abſentis aures ſalutatione, & inuocitatione obtundamus? Veterum Regum monimenta, &

Pro-

Prophetarum vaticinia, haud dubiè lectitasti, & aduertisti Elizeum Giezi discipulum suum increpantem: *Nónne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tui?* Audísne, cor suum in præsenti fuisse, cuius corpus absens erat? Non ambigo te lectione ac relectione Paulinarum Epistolarum multas horas combussisse: quid ergo sibi vult hic ad Corinthi ciues versus: *Sum absens quidem corpore, præsens autem spiritu?* Quâ, sodes, interpretatione contextum hunc enodaturus es, si non visum tibi; Diuos licet corpore auulsos, Deo tamen reuelante, omnium rerum notitiem assequi, omnia non secus ac præsentes, peruidere? Porro; si ad veri professionem adigeris, cur ineptis, Protonympham, quæ Deum perspectat, corporeâ massâ nobis inuisam etiam spiritu abesse? Quasi verò, Dei pandentis adminiculo, & suâmet contemplatione, perrumpere nubem nequeat nostrarum precum, quibus illi salutis nostræ promouendæ cupidinem nuntiamus; neque præsentem esse, vt earum à filio calculum expromat. Nimiopere falleris ergò Caluine, aut illiteratum his gerris popellum fallis, adnitens illum à tam magnificæ, polo lapsæ, virgini iucundissimæ Salutationis reuerentiâ deterrere; vt nem-

pe

pe ſic magni Heri tui Satanæ offam mereâris, cuius cerebrum tude Salutationis huius comminutum eſt.

Sed apage, Caluine, & ſeſquipedalem naſum trahe; ſine me porrò ſermonem ad tribûles tuos Mariæ-Magiſter flectere è cuius vbere ſuxiſtis, Domini mei, hanc ſalutationem precationis inanem eſſe? Veréne ſcitis ergo, quid ſit oratio? Ignoratis, illam binis conſtare partibus, quarum altera Numen deprecamur, alterâ dilaudamus, honoramus, pro beneficijs grates pangimus? An non cum Sylâ Paulus *mediâ nocte orantes laudabant Deum*? Siue ergò Dei aures votis, ſiue gratijs implemus quid niſi oramus? Aut vos certè magnum nihil agitis, in profanis conuenticulis veſtris, dauidicos titulo, re Marottanos Pſalmos, pleroſque ne precis vmbram quidem, ſed nudas Dei laudes continentes emugiendo.

Orationis duæ partes, altera laudis, precis altera.

In Angelicâ ergò ſalutatione fit à nobis vtrumque. Primò; honorificâ Deum gratitudine proſequimur, quòd ſalutationis iſtius interuentu, libuerit illi tam proiectè vileſcere, vt humanitatem noſtram in Mariæ Virginis vtero, ad complendum redemptionis noſtræ opus, deſponſaret.

Secundò, Diuam Virginem opertâ pre-

camur insinuatione, more sororum Lazari, quæ de fratris infirmi vitâ actum esse suspicatæ, *Domine* (inquiebant Christo) *ecce quem amas infirmatur.* Sanctus autem Augustinus plenam his verbis sed celatam inuolui orationem docet hac paraphrasi: *Non dixerunt, veni: amanti enim tantummodò nunciandum fuit. Non ausæ sunt dicere: Ibi iube, & hîc fiet, sed tantummodo: Domine, ecce quem amas infirmatur. Sufficit, quod noueris, non enim amas & deseris*: Ausitné infida secta, erroris insimulare Doctorem hunc sororiis his verbis precationem innexam esse, asseuerantem? Si non fuit, cur ad illa verba comitatus Saluator, quatriduanum adiit cadauer, & attonitis omnibus, sepulchro rediuiuum excijt? & elephantiacus ille Christo occlamitans: *Domine si vis potes me mundare*, non censetur orasse? Si orandi mente caruit, cui bono clamor iste? Si vociferando nihil poposcit, cur audiit illico: *Volo, mundare?* cur percuratus est? Dixeris forsan tacitè orasse, ideoque exorasse; quid pernegas ergo implorare nos Deiparam, dicendo *Aue Maria*? Quid hoc aliud est, quàm supplicare illi, quæ in se recepit curacissimam sollicitudinem discludēdi malorum assultus omnes, & conciliandi nobis (ne vnquam obseratis auribus fundamus

Angelica salutatio, laudum precationumq́; complexio.

D. Aug. 49. in Ioan.

Matt. 8

preces) Dei iſtius beneuolentiam, qui intra eius viſcera, huius ſalutationis acceſſu, carnem induit? Palpáſne tandem, quàm brutæ ſis inſulſæque mentis hæretice? Sanè, ſed auertes fortean hunc ictum, & alior-ſum declinabis dicens: Cachinno debitã battologiam eſſe (etiamſi precis aliquantum admiſceatur) tam crebra verborum *Aue Maria*, (ter nempe decieſque per dies ſingulos, vel ter & ſeptuagies; vt ſphærulis fit precariis) repetitio. Iam animo præmenſus eram, de tranſuerſo me impingentem hunc ictum. Verùm, dic, quid rere mali huic ſubeſſe conduplicationi? Cùm iam probarim tibi, hâc nos ſalutatione Dei ſonare laudes, & inſimul Deiparæ patrocinium acciere, eſtne res, te cenſore, riſu explodenda, euehi in diuinas laudationes, & Beatorum nobis aduocamenta parturire? Quid factitare nos æſtimas duplicando toties *Aue Maria*, ſi non continuamus ſanctam ac ſalutarem obſecrationẽ? An non ipſius Chriſti conſilio ſuademur *ſine intermiſſione orare*? An non ille ipſe hâc praxi in oliuarũ hortulo vnum idem redorſus eſt? An non denarrat beatarum Placidæ & Felicitatis D. Auguſtini ſororum vita, conſueſſe illas penſum ſtatarum precũ cæleſti hâc indies ſalutatione Matrem-Virginem honorare? Quid;

Frequẽs Aue Maria *repetitio ſalutaris.*

Luc.18.

Luc.22.

Alphõſ. Oroſc. Chron. Ord.

Quid; quod etiam S.Clara de Montefalco (cuius præmissa mentio est) quibusuis precibus suis, Deiparentis ad honorem, intercalauit vsque Angelicam hanc Salutationem? Vbi cerebrum habes, excerebrate hæretice? vbi nares? vbi oculos? Quid in te sodes, commisit Virginitatis auctrix, vt illi hanc inuideas adoream? In quo te tantopere offendit misella Adami prosapia, vt tam pręfractè fraudare eam virginali libeat patrocinio?

Porrò, quid dicturus es, Hæretice, si perspicuum tibi dedero, sub salutationis huius cortice occuli puram putam ad Cæli Dominam, obsecrationem? Queátne elegantior, magisque pia componi illâ, quam sæpiùs dictæ salutationi annexuit Ecclesia? Dicimus enim: *Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in horâ mortis nostræ, Amen.* Ecce tibi elegantem orationem, Angelicæ Salutationis appendicem, Satanæ, Hæreticis, & alijs eius apparitoribus tam odiosam, vt ad eius sibilum ringantur, frendeant, excandescant.

CAPVT XXXIV.

Virtute Salutationis à cælica legationis ministro concinnata, desperatis plurimorum rebus auxilia submissa.

IGnoſcite, cari Sodales, tam procul à propoſiti meta expatiato. Auexerat me blaſphemarum horror calumniarum, quæ in Dei genitricem, Sodalitatis noſtræ Principem, ac Diuam tutelarem ditis nepotes eructauêre. Porrò, quò faciliùs peruadat mentem veſtram energiæ ſalutationis huius euidentia, hiſtoriolas aliquot à teſtatæ fidei auctoribus mutuatas, in ſcenam produxero. In D. Anſelmi DE MIRACVLIS libro ſcriptum eſt, viatorem quendam, Cæli Reginæ effuſiſſimè diligentem, conſuetudinem ſibi fabricaſſe, labiis crebriter retexendi hanc eius Salutationem. Huic in itinere nefaria vis illata, terraque in ſiluis eſt iniecta, & protinus, ecce eius ſcipio ab interemptore tumulo ſuperinfixus cœpit reuireſcere, & radices ad os vſque protendere, vt ſenſim in proceram arborem expullulârit. Tranſiens autem illac longo poſt tempore quidam Epiſcopus, ſucceſſit vmbræ captandæ cauſsâ hanc arborem, & ſub-

Lib. 6. c. 17.

ſubtùs reſidens aliſquantiſper quieuit. Elatis autem oculis interim obſeruauit,& cum illo comites omnes, ſingulis frondibus, tanquam à naturâ inaratâ hæc verba: *Aue Maria,gratiâ plena,Dominus tecum.* Cuius rei admiratione captus, & ab accolis plenam geſtorum ſeriem doctus, iuſſit humum ab arbore aliquatenus defodi; quo facto notauit, radicem ex eodem illo ore enatam, in quo toties renatum erat *Aue Maria gratiâ plena, &c.*

Veteranus quidam miles (vt à Dionyſio Carthuſiano conſcribitur) ad Ciſtercienſe D.Bernardi Monachium, cum Religioſis iſtis ad Pœnitentiæ opera totum ſe collaturus, ſeceſſit; vbi poſt longas admiſſionem ambientes inſtantias, in numerum tandem fratrum laicorum cooptatus eſt. Cui dum ſedulò Dominica Oratio, cum Angelicâ Salutatione inculcaretur, nihil præter hanc, ſenij vitio, memoriâ haurire potuit; quam omni penè momento, illuſtri pietatis ſignificatione,ad laudem D. Virginis, in ore habebat. Quo è viuis ablato,animaduerſum eſt, ex eius vrnâ, breui temporis interiectu, arborem ſurgere, cuius folia aureis perſperſa litterulis *Aue Maria gratiâ plena* notabiliter & ſingulatim exprimebant. Quo nomine attonitus cum ſuis Abbas,

Serm.de annunt. B.Mariæ

Abbas, arboris radicem fossione perscrutati, oriri eam compererunt e faucibus impensiori affectu *Aue Maria*, efferre solitis.

Religiosus quidam sub signis S. Bertini militans quinque Psalmos Mariano nomini capitales litteras contexentes, ad honoré eius frequentare solucrat. Erant auté hi:

Magnificat.

Ad Dominum cùm tribularer.

Retribue seruo tuo.

In conuertendo.

Ad te leuaui oculos.

Quorum singulis Angelicam Salutationé præmittebat. Ex cuius repentinò exanimati auribus excretas repererunt sacri commilitones, duas amœni odoris rosas, totidé ex oculis, & gutture vnicam, quibus insculptum radiabat *Aue Maria*.

Anton. d'Auer. ibid. post alios Auctor.

Eiusdem domûs ac Ordinis alius, quem pia tenebat quinquagies in die submissis ante Refectorium genibus *Aue Maria* repetendi consuetio, vidit illam quodam tempore pallio splendido & inscriptiunculis *Aue Maria* distincto, amiculatam, eâ illum spe lactantem, quod cis pauxillos dies esset illum filiæ regiæ inuectura.

4. Mirac. Herolt. distin. 3. exem 32. ex illust. vir. ord. Cister.

Claro quidam genere adolescens Eskillus nomine Archiepiscopali post dignita-

te

te ſublimatus eſt; ſed eâ ſe pius ad aſceticam mellei Præſulis diſciplinam transfuga, abdicauit. Qui deinde animi cultûs capeſſendi cauſſâ, ad non ignobilem quandam Saxoniæ vrbem, miſſus, ſatis laſciuè, nequiter, & ab omni veneratione Deiparæ auerſus, vixit. Acerrimæ igitur ægritudinis aculeo punctus, & vi doloris mente defectus arbitrabatur ſe in medium rogi infernalis gurgitem præcipitatum, ac dein aliorſum verſus, intueri ſe Diuam Virginem, coram quâ Antiſtes quidam, cum Decano, ac tertio ſibi noto ingenua appronati iacebant. Quos adiens, pro ſe virginem vt deprecarentur, inſtanter vrgebat.

Quod cùm illi ordirētur, illa ſcintillantes iram oculos in Iuuenem euibrans: Quid me, inquit, flagitationibus delaſſatis, pro nequitiis diffluente frugiperdâ iſto? homine meâ præſentiâ indigno? quid opis ille à me expectet, qui ad me ſalutandum ne mutit quidem vllo momento? Sed cùm ille ſe virgineis plantis adſterneret, ſponſoque ſe ad impenſiorem pietatem adſtringeret, ignibus euocatus eſt, cum reſponſo viciſſim, illum denuò nunquam in eoſdem reuocatum iri.

His actis, euigilauit, & exin anim-

aduersa est in illo tanta mentis ad pietatem inclinatio, vt à recitatione *Aue Maria*, nunquam desierit; & ob vitæ sanctimoniam ac præclara merita conspicuus factus ad amplitudinem Archiepiscopalem reuectus sit, quo tamen iterum renuntatio in religiosæ humilitatis lacertos reuolauit.

Ioan. Herolt. dist. 5. exempl. 62. Cuidam è Iudæâ gente Coloniâ emigranti, vt Louanij familiarem sedem figeret, filiola erat Parentis-Virginis afflatu, fidei luce donata. Vix enim annum quintum ætatulæ agenti, adeò volupè erat tenellis auriculis Angelicam salutationem imbibere, vt quidquid subducere posset, mendicitatem perpetientibus, eâ lege clam parentes, divideret, vt clarâ voce, edicerent *Aue Maria*. Hanc (cùm antea Rachel vocaretur) vitali riuo tersam Catharinam D. Virgo appellari iussit. Quæ mox in Monasterium Bernardinum, cui tunc *Pratum Dominarum* nomen erat abiens, se cum religiosæ disciplinæ tenacibus consociauit.

Ib. dist. 6, exem. 19. ex Cæsar. 7 Mirac. Scelerosa quædam è mediâ plebe femina (vt apud Cæsarium extat) in finibus Coloniensibus post corruptelas peruarias & libera lustra, ad vestalem vitam mentem admouit, icta horrore, expauidaque, quòd

quòd quodam diluculo, procorum ſuorum quempiam, qui ipſi ſibi manus intulerat, in cubiculi foribus laqueatum offenderet.

Sed cùm pertinax mortalium aduerſarius non ceſſaret ei conſpicuâ fronte oberrare quotidie, adlaborareque, vt illam ad vomitum retroageret, & animam eius, velut antè moechi. peſſundaret; diris anguſtijs perplexa mulier quam viam importunum hunc vexatorem profligandi ineat, non inuenit: habitoque cum ſororibus monialibus cònſilio: alia ſanctæ crucis munimine, alia luſtrali latice, cacodæmona fugandum, cenſet. Quibus ad amuſſim obſeruatis; ſubtrahebat ſe quidem ille ad tempuſculum, ſed non ſine maturato reditu. Mulieri autem aſſiduas has infeſtatoris moleſtias lugubriter toleranti, grandæuior quædam vſuque rerum peritior matrona auctor fuit, ad primulam eius reditionem maſculatâ voce occlamitare: *Aue Maria, gratia plena.* Suaſum, factum; & moleſtus exagitator properè ſe proripuit nec vnquam reuenit.

Thomas Kempenſis notæ ſanctitatis vir, in religioſo pugillatu adhuc tirunculus, eundem non ſemel teterrimâ ſpecie tremendum obuiam habuit, cuius pauore *Io. Herolt. diſt. 10, exẽp.*

P 5 qua

quateretur, & cælestissima eius exercitia labefactarentur:cui ad repellendum hoc spectrum nihil erat præsentius, quàm *Aue Maria Iesus Christus.*

9. Mirac. Vir quidam stirpe clarus factis obscurus post teterrimas nequitiæ sordes, accinxit se ad viatores quoslibet sine vllo personarum delectu (erat namque illi arx in nemore) inuolandos, & compilandos. Interceptum igitur virum quendam sanctitudine præstabilem despoliandi cupidine arcem more suo induxit. Quò cùm ventum esset, petijt captiuus omnes Toparchæ domesticos coram se conuocari, quasi qui momentosum haberet negotium cuius illos participes fieri prorsus oporteret. Quibus aggregatis; vnicus se abgregârat; qui pòst tamen ad reditionem his verbis redactus est: *Adiuro te in nomine Domini, vt dicas mihi, quis sis?* Hæc verba cum stupore omnes excepêre: præ cæteris autem personatus hic administer, qui bacchantis instar caput quaquauersum rotans hanc edidit vocem: Tuæ per nomen Domini adiurationis coactu, nequeo quin laruam ignominiosè ponam.

Idem distinct. 8. Exemp. 60.

Non enim, homo sed cacodæmon sum, qui sub mortali specie, Toparchæ huic annis quatuordecim confamulatus

sum,

ſum, illi certè Principis mei Luciferi iuſſo iugulum interſtricturus eo die, quo recitationem Salutationis Angelicæ intermiſſurus fuiſſet. Sed hactenus irritus propoſiti, fruſtrà fui. Etenim ex quò illi deſeruio, primo indies mane, ſeroque veſpere in genua complicitus illam Salutationem immurmurat: quæ illi perpetuam Dei protectionem conciliat & continuat. His ita detectis auernalis ille mimus diſparuit; Toparcha autem totâ cum familiâ immane quantum conterriti ad Sancti ſe pedes conſtrauêre, pœnitudinem, & in melius transferendi mores animum (& promiſſo ſteterunt) ſeriò vouentes. Cùm B. Iordano Saxoni noſtræ profeſſionis viro (ipſe de ſe ſcribit) in viſitandâ Prouinciâ Priori Prouinciali iuncto, inter vias, impetuoſa quædam aqua, cui Mulda nomen, eſſet tranſvadenda rapidiore curſu nauis acta ſub pontem fuit, nautâ nequidquam vt eam inter fluctus contineret vehementer ſudante; atque ſub ipſo ponte nunc in hanc, nunc in illam partem flexâ, propiùs nihil eſt factum quàm, vt fluctibus obruti diſperirent. *B. Iord. l. 2. vit. Frat. c. 20. 10. Miracul.*

Quod P. Prouincialis cum vectorum reliquis ominantes, vt naufragio ne intereſſent in aquas abſiliunt, quos bonus
feli-

B. Iord. dum Salutationem Angelicam recitat, naufragio se extricat.

felicitauit euentus, peropportunè aduolantibus piſcatoribus, qui lembis exceptos ad litus aduexere. Pater interim Iordanus cum vnico ſociorum in naui remanentes, & nil niſi exitium manentes, Dei parentiſq́ue eius opem ſuſpirantes, *Aue Maria* conduplicabant, & vix alias in voces linguam reſoluebant. Vnde euenit vtique permira eorum ac planè deſuper allata incolumitas & conſeruatio, nauigijq́ue (quod aquarum moles ſic depreſſerat, vt lumborū tenus Iordanus cum comite inter eas iam ſubſediſſent) duas inter aquas, firma ſine merſione ſuſpenſio; ac præterea, in pleno fluminis curſu quem non eſt ſecutum, quaſi inter rupes ſtatio, atque obhæſio. Ita vt hoc modo boni patres diſcrimine emerſerint. Procul igitur abeſt indecoro, (vt ineptit Hæreſis) multo magis deridiculo; ſed contrà, ſaluti conuenientiſſimum, quod Sodales noſtri luculentam hanc ſalutationem terdecies in die Virgini Matri in perpetui patronatûs eius recognitionem, oblatum eunt.

CAPVT

CAPVT XXXV.

Antiphonæ (Salue Regina) *quotidiano vſu à Sodalibus tritæ energia, & contra hæreticos defenſio.*

SI quidpiam ſit in Officio diuino ad palatum noſtræ tempeſtatis Hæreticorum non faciens, eſt *Salue Regina*: Antiphona ſiue Oratio ad Deiparam panegyrica & encomiaſtica, quâ flectimus illã ad intercedendum pro nobis apud filium IESVM CHRISTVM. Auctorem vindicat impenſiſſimæ pietatis, & in Dei genitricem affectus; cui, ſunt qui Hermanni Contraquei dent nomen. *Salue Reginæ inuiſum Hæreticis.*

Lutherus ſermone de B. Virgine inficiatur, huic Antiphonæ ſanam poſſe vnquam tribui interpretationem. Petrus Pſeudomartyr garrit; eam eſſe impietatis refertiſſimam, quod cuncta in eâ ſoli Deo própria Virgini Matri dedicentur; quod genus ſunt: *Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, ſpes noſtra*, reliqua Matre Dei digna Epitheta. egregium verò, & infallibilis conſequentiæ exemplum! Bella, accurata, & ſublimis ratiocinatio, quâ te crucias miſer Satanæ martyr, vt impugnes illam, quam non ambigis *Bellar. l. 2. de bonis oper. in particul. c. 15.* *Com. in c. 3. ad Corint.*

bigis multò maximè inimicam esse illi, cuius tu martyres. Verùm, cedò bonâ mihi, fide: pro delectamentóne sacram habes paginam, argumentando tam insipidè, aut adigeris plumbeæ stupore mentis ad infacetam hanc ratiocinationem? Deus appellatur Pater misericordiarum; exuberantis ergò impietatis est, inquis, Virginem vocare *Matrem misericordiæ* quòd à nobis hâc fit Antiphona. Iterum ais; Christus Iesus de seipso: *Ego sum*, inquit, *Via, veritas, & vita*; Impij igitur Catholici, diuam Virginem, *viam*, quod in *Salue Regina*, faciunt, nuncupantes. D. Paulus asserit Deum propriè totius esse consolationis fontem: absurdè ergò Catholici, diuæ Virgini. *Dulcedinem* (vt hîc) attribuunt.

Ioan.14.

2. Corin.

Prophetico fatetur ore Spiritus Sanctus. *Maledictum esse hominem, qui confidit in homine*; arcessendi ergo impietatis Catholici, qui in *Salue Regina*, Deiparam dicunt *spem*.

Hæretici suam suismet argumẽtis produnt ignorantiam.

Hier.17.

Promittit vniuersi conditor, manifestaturum se nobis seipsum, vbi nos beatificabit; agunt igitur perinique Catholici ad D. Virginem confugæ, vt eis *hoc in exilio filium suum ostendat*. Probéne deductæ sunt hæ consequentiæ opinione tuâ, ex antecedentibus?

Ioan.c.14.

tibus? Si aias, vnà ergò ſuperæ Salutationis gerulo impietatem affrices oportet, qui Virginem ſalutatum accelerans: *Gratiâ plenam vocauit*, quo titulo D. Ioannes Dominum ſuum inſignijt *Plenum gratiæ & veritatis* appellans. eiuſdem lapsûs & Sanctus Lucas arguendus erit; qui Martyrum coriphæum *Plenum gratia* depinxit, Dei nempe ſeruo appingẽs quodcompetit filio. Niſi cornutum ſit argumentum, ne ſpiritus quidem ſanctus hoc næuo vacabit. Quis enim neſcit, Dei nomen Patri, Filio, Spiritui ſancto proprium eſſe; idipſum tamen Dauidicis labijs, nõ rarenter cum cęli ciuibus communicatur. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat.*

Refutãtur hæreticorũ argumẽt

Act.6.

Pſal.31.

Si Martyrizatæ huic conſequentiæ aſinina non ſubeſt ruditas; ſequitur, & ipſam Dei ſapientiam in hunc impietatis ſcopulum impingere! Nam, *Ego ſum*, ait, *lux mundi:* itemque ſuis de Apoſtolis: *Vos eſtis lux mundo.* Si impiantur Catholici, adſcribendo D. Virg. Epithetũ quodpiã Deo à ſacris litteris accõmodatũ, ecquid idẽ factitãt quotquot in deformatâ veſtrâ religione enaſcuntur liberi, quoties eos, quibus geniti ſunt, patres vocãt; hoc enim pacto, nomẽ Deo, ſecundũ ipſiuſmet Chriſti doctrinam quã maximè pro-

Ioan.9.
Matt.5.

proprium, parentibus ſuis commodant. Concludimus itaque, ſequelas has obtusè abſurdas eſſe, & haud æquo nos iudicio impietatis damnari. Quod vt rectiùs percipias, ſuadet animus, Catholicam in hoc facto mentem paullò planiûs tibi, ac pleniùs enudare.

Declaratio Antiphonæ Salue Regina. Dicimus primò, glorioſam Virginem *Reginam*: quoniam iuſti omnes in hoc mundo Reges ſunt. Quòd à Redemptoris noſtri dogmate non abhorret dicentis: *Matt. 5.* *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Quid? an non beandis omnibus dicturus eſt: *venite benedicti Patris mei, poßidete regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi?* Si omnes iuſti, Reges; quid inuenis à ratione alienum, Virginem Mariam *Reginam* dici, quæ quidquid creaturarum eſt iuſtitiâ præcellit & ſuperemicat? Tribuimus adhæc illi *Reginæ* nomen, quòd cæli terræque Regis editrix quaſi cæli terræque *Regina mater* ſit. Hoc titulo honorat illam S. Ephrem in vnâ de laudibus eius Orationum: *O virgo, quæ Deum genuiſti, & quæ es omnium regina*, Et melleus Doctor. *Per te inquit, Reginæ clemens, gratiæ ſuæ munera largiatur Ieſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter.*

Bernar. Secundò; *Matrem miſericordiæ* vocamus,

non

non solùm quia Christi IESV è cuius gremio in nos misericordia pluit, parens est; sed potiùs; quia nobis infelicibus reis, precarij filij misericordiam indies eblanditur. Illam Claræuallensis Præsul nonnusquam *Matris misericordiæ* decorat insigni; nonnusquam Dauidis illud accinit: *Misericordiâ tuâ plena est terra.* *Serm. 4. de assump. B. Mariæ.* *Serm. 1. de assumpt. & 4.* *Psal 118.*

Tertiò, *Vitam* nostram dicimus, non quòd credamus ipsam esse essentialem vitam, quæque rebus omnibus (quod Dei solius est) vitam indit, sed eatenus dumtaxat, quâ mater est dicentis: *Ego sum Via, veritas, & vita.* Etenim si IESV Christi, qui vita nuncupatur, mater est, quid obstabit, quò minus & illa nostra fratrum eius vita dicatur? Eua (vt Epiphanio videtur) *Vitam* designat; omniumque nostrûm satrix id nominis gessit, non sibi, sed Mariæ (cuius præferebat typum) Virgini, quæ verè vita vocari meruit, vtpote Iesu Christi mater, qui vera per essentiam vita est. *Ioan. 14.*

Quartò, *Dulcedinem* illi acceptam ferimus, quia amaricatos in asperarum rerum prouentu, animos assiduissimâ consolatione delenit; vsque eò, vt non extet vllus vspiam tam exiguus in orbe loculus, qui Virginalem hanc dulcedinem,

& in mortale genus benignitatem non fuerit expertus.

Quintò, *ſpem* noſtram nominamus; quòd illa poſt Deum ſit, per quam cælicos nobis fauores polliceamur; ad eum modum, quo quis cupidè quid Regi expalpare cogitans; vt id negotij bene proſpereque procedat, diſquirit ſibi in aulâ è procerum tribu quempiam, qui illi ad poſtulata reſponſi accelerationem ſpondeat, poſſit dicere; ſpem ſe tam in hoc, quàm in illo locatam habere: in Rege quidem quòd in ſuâ ſit manu petitioni eius ſubſcribere: in Satrapâ autem, quòd intimæ admiſſionis Regi amicus ſit, cuius fauore cupitæ rei fructum poſſit carpere: ſic & nos, cùm ad triſtioris fortunæ incurſum Deum inuocamus, directum omninò ſpei noſtræ ſcopum illum ipſum præfigimus: certi, penes illum eſſe potentiam abſolutè perfectèque conferendi nobis, quidquid exobſecramus: nihil tamen obeſt, quin & in cariſſimâ eius matre ſpem quadantenus locemus.

Non quod illa ſuapte auctoritate ſpes noſtras euehere, votaque ſecundare queat, ſed quod expiſcari nobis captareque poſſit, quod requirimus. Et *ſpes* quidem ſic noſtra eſt, ſuauiſſimæ nimirum patro-

næ,

næ, & gnauæ apud ſuperos aduocatæ titu-
lo. Illam ſuperiori Oratione S. Ephrem, ſuam & Chriſtianorum omnium ſpem in-
digitat. Nec aliter ſanctus Bernardus: *Ca-riſsimi* (inquiens) *glorioſa Virgo Maria eſt ſcala peccatorum, eſt maxima mea fiducia, eſtq́; quaſi ſola meæ ſpei occaſio.* Ceterùm, ſi ad hacte-nus dicta necdum dat verbā hæreticus, Paullina illa peruoluat: *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum?* Nam ſi gentium Magiſter il-los, *ſpem ſuam* vocat, quos infidelitatem de-docuit, ob ſpem præſtolati à Deo præmij, quippini longè potius hoc Epitheton glo-rioſæ Dominæ adijciemus?

Serm. de Aquæ-ductu.

1. Theſ. 2

Precamur denique, vt *poſt hoc exilium Ieſum benedictum fructum ventris ſui oſtendat*; non quaſi ignari, non dari alium præter Deum, qui oſtendere nobis poſſit *Ieſum Chriſtum*, ſed vt eadem illa, quæ ſacrum hunc fructum hîc in terris conſpicabilem ad mundi ſalutem protulit, omni ope nita-tur in cælis, vt eo, quo vita & mors diſtin-guuntur, momento, videre illũ liceat mi-tem placidumque iudicem, à quo audia-mus: *Venite benedicti Patris mei poſsidete regnum quid vobis paratum eſt ab origine mundi.* Quid igitur impietatis admiſtum eſt inſigni huic Antiphonæ, quam mordicibus tam viru-

Matt. 25

lentus. arrodit Hæreticorum genuinus? Latius euagari potuissemus in hoc explicationis campo, nisi fuissemus arbitrati blasphemos aduersantium rictus satis superq; sufflaminatos, & futilium argumentorum illorum pyxidem affatim esse returatam.

CAPVT XXXVI.

Aliquot historiolæ vim Odes huius (Salue Regina) *magis particulatim collustrantes.*

Herolt. Ord. B. Domin. l. de miracul. B. Mar. EO sæculo, quo Fratres Prædicatores Ord. D. Dominici gnauiter ac valenter insudabant euangelico, per Galliã, Italiã, alias mundi plagas elogio, inuehentes in vitia, & ad virtutis amplexum auditoria stimulantes, Satan debilitari se odorans, & ex inde fide hâc piarum operarum solertiâ confusus, vltionem, & clarissimæ molitioni obicem parauit. Sepè ergo se numero perquam inuisâ, ac terrificâ formâ oberrans publicabat: alijs videlicet ardentis inque illos lapsabundi clibani: alijs *1. Miraculum ad* Salue Regina *spectans.* altum cornuti asini: alijs flammas faucibus & auribus vomitantis natricis: verbo; tam spissa remorarum glomera misellis Religiosis obstruebat, vt pernocte precatione alternis excubare cogerentur, ne sopore fortean captos malo dæmon mactaret infor-

ſortunio; non paucis enim illorum tam horrida ſpectra mentem excuſſerant. Taliter igitur afflicti, animum ad Serpentis cōtritricem legant diariam illi vouentes poſt Completorii Pſalmodias cum Cantico *Salue Regina*, proceſſionem. Quo voto nuncupato, quidquid monſtri fuerat, abolitum eſt; malè autem ab his multatis (è quorum numero regius quidam filius maniâ ſaucius) animus, & valetudo, in ſedem ſuam repoſita fuere. Cæterum, Dominicani religioſi voti iſtius etiamnum rei; animis perpetim gratis, idipſum ad hoc vſque tempus continuare non ceſſant.

Lombarda quædam cùm Maſſiliæ in Prouinciâ Prouinciæ intereſſet Complemento diurni Officij eorundem Fratrum Dominicanorum, laudibus Marianis imprimis affecta, concinentibus aſcetis, ſolitā officij quaſi mantiſſam *Salue Regina*, magnâ & cordis & auriū voluptate hauriebat illa eorum verba: *Salue Regina mater miſericordiæ*: ſpectauitque reginam illam ſingulos religioſorum comiter & ciuiliter ſalutātem. Et pronuntiātibus illis. *Aduocata noſtra*, illā ſe in genua ad filij pedes abijcientē, proque religioſis ſupplicantem: ac peruēto ad: *Miſericordes oculos tuos ad nos conuerte:* vidit, eandem perbenignum ac gratioſum omnibus *Ex vitis Fratrū Ord. Domin.*

oculum adijcientem: Ad versum autem: Et *Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende*: aduertit, Matrem-Virginem vlnæ insidentem infantulum singulis, à primo ad imum vsque hilariter protendentem. Quo spectaculo mirum quantum recreata Matrona, rem omnem confessionum suarum exceptori, quò intensior huius Antiphonæ recinendæ auiditas accresceret, ordine narrauit.

Ex litteru Guid. Fulcodij Episc. Fratr. dicta matrona scribent. ad Frat. Prædic. Montispess.

Maria quædam Tharasconia Ordinis Prædicatorum cupidissima, comitijs eius Generalibus Montispessuli habitis pij affectûs instigatu interesse percupijt. Existens igitur in æde sacrâ ardenter Deum precata est, vt Patrum è longinquo allapsorum religiosa negotia, ad plenum & perfectum prosperare non renuat.

Quid fit? Videt ad incœptionem Hymni: *Veni creator spiritus* flammam prodigiosè in templum delabentem, & chorum omnem cui patres inerant complentem; ad exordium verò Odes: *Salue Regina*, vultûs humani nympham se accedentem, ac, vt ab eius latere ne descisceret, inhibentem; totum deinde chorum circumeundo coram singulis ascetis ad eius laudem *Salue Regina* concrepantibus se incuruantem. Quæ hoc peracto in gradibus iuxta cereiferos

feros constitit, ibique ad vsque Cantici finem perstitit; ac dein ad astra remeauit. Hæc visio mulieris oculos continuo triduo permulsit, neque mortalium vlli vnquam præterquam in vltimâ vitæ lineâ patefecit. Tunc enim à Deo se accersi præsentiens, omnia fratri suo Guidoni Episcopo, vni sororum, impubi filio, & tribus è S. Dominici tribu, percensuit.

Cùm in alio quodam eiusdem Ordinis in Lombardiâ monachio idem melos concineretur; iamque ad illum versum, *Iesum Christum nobis post hoc exilium ostende*, ventum foret; eadem beata Nympha se ibidem loci ostentans hanc effabatur Parænesin: *Canitote, carissimi, laudesque feruenter dicite, reuera enim vobis* (ita spondeo) *tum in præsenti, tum postfuturo sæculo filium ostensura sum.* vnaque illis implicitum vlnis infantulum præsentauit. Quod attentioribus oculis Chori præcentor inhauriens, tanto stupore confossus est, vt præ gaudio, sensu & animo destitutus, templo efferendus fuerit. *Herolt. Ord. B. Domin. l. de miracul. B. Mar.*

Sacerdos quidam (vt scriptis innuit Cæsarius) quia pium in Deiparam animum consuefecerat, omnibus interijcere precibus *Salue Regina*, cùm in campi patentis æquore, tonitru, fulmine, grandine, atque *4. Mir.*

atque id genus procellis ſic diſcuteretur, vt profectionis perfectionem non poſſet attingere, in proximum ſecedens ſacellum, humique recumbens *Salue Regina* lectitauit, cuius ſe lateri illa protinus applicuit, & de malis omnibus deinceps orituris exemptionem ſpopondit.

Herolt. diſt. 7. exemp. 44. *5. Mir.* Quædam parum in cenſu habentes, Moniales, dolenter ferentes, aſſimili calamitate ſata boumque labores diſtritos, ſacram ædem ingreſſæ *Salue Regina* modulatæ ſunt: & ecce; conterminorum omnium longè per gyrum lateque frumentis, reliquiſque frugibus peſſum datis, illarum omnia ſarta-tecta obmanſêre.

Herolt. lib. de Mirac. B. Mariæ. D. Franciſci peramans femina, cùm ſeptenis diebus, in perdifficili partûs eniſu planè exſpes luctata fuiſſet, & iam omnium calculo, animam in extremis haberet labris, in lenem ſomnum profuſa intuita Diuum Franciſcum *Salue Regina* murmurizantem, cumque; inchoaſſet verſum: *Et Ieſum benedictum*: confeſtim illa, & omnibus omninò doloribus, & formoſulo puello vacuefacta eſt. *6. Miraculum.*

Herolt. Ibid. Canonico cuidam regulari, cui in mortalitatis metâ pauorem impreſſerat ruminatio huius Eccleſiaſtici gnomes: *Neſcit homo,*

homo, odióne an amore dignus sit, Dei beata parens se exhibuit, eum sine curâ esse iubens, ac aduersus oppugnatores quósuis in supremo conflictu robur animi inexpugnabile promittens, in talionem quod ad honorem suum *Salue Regina* solenti pietate ingeminaret. Quod certo euentu pernotuit. Nam idem ille adeò antè meticulosus, tanto gaudio & hilaritudine perfusus, extinctus est, vt id communem ad omnes admirationem adferret. *Eccles.9* *7. Mir.*

Locuples id genus historiarum strues construi posset, quæ contestetur, admodum salutarem esse huius Antiphonæ vsum; quam ob rem operæ ingens pretium est, Sodales hanc frequenter memoriâ ac labijs, maximè rebus aduersis circumsessos, versare.

CAPVT XXXVII.

Religiosa, quam Zonigera D. Augustini Sodalitas, quarta cuiusq; mensis Dominica adornat, Processio.

Vsus processionũ peruetus. HAud equidem video, quæ calumniandi nostri seges succrescat Hæreticis, quando in dubijs Ecclesiæ rebus, aut grauibus discriminibus publicas instruimus supplicationes, quas constat per aliquot seculorum periodos stabili in vsu perdurasse, esseque probos colendi Dei, & populo suo offensi placandi ritus. Quod ad vsum attinet; pro eo faciunt sacrosanctâ vetustate venerandi codices, Numerûm, Regum, Iosuæ, Paralipomenon, aliorum. Et à primore quoque Ecclesiâ receptum fuisse, Euangelicis SS. Matthæi, Marcique commentarijs clarum est, quod scitè simul ac veritè connotauit R. P. Ioannes Bapt. à Glano S.T.D. Ordinis nostri, & præter antè dicta, Tertulliani, SS. Ambrosij, Augustini, Gregorij Turonensis, Ruperti, aliorumque grauium Doctorum auctoritate demonstrauit; Religiosos istos per plateas orando processus, omni æuo, in præsens vsque à Catholicâ Apostolicaque Ecclesiâ *Histor. Pontif. vitâ Liberij I.*

vsur-

vſurpatos inter ſanioris fidei homines fuiſſe. Quòd autem ad proſpectum ſalutaris finis ordinati ſint, ſpiritualia quæ ampliter euergunt bona, teſtatum reddunt.

Nam primò; ſolemnes illæ per vrbem vicoſué precationes, actus latriæ meri ſunt. tunc enim vel maximè Deum agnoſcimus ſupremum naturæ & creatorum omnium moderatorem, penes quem ſit hoſtilium machinationum diſſuendarum, & malignitatis cauſarum ſecundarum tam contingentium quam liberarum præpediendæ potentia; quoties nimirum calamitatum, ſterilitatis putà, ex ſicci, humidique nimietate genitæ: peſtis aut peremptoriarum cæterarum ægritudinum ex aëris corruptelâ fluentium; belli, ſeditionum, hæreſion, ſchiſmatum, & parium cladium, ex hominum nequitiâ proficiſcentium, fomitem ſubminiſtrant. Quibus omnibus auerruncandis, quoties ſupplicationum dies indicimus, agnoſcimus in Deo potentiæ exceſſum, quâ noſtris oppreſſorum ceruicibus inamœnos omnes caſus queat detrahere. Exempli cauſſâ; cùm eas infæcundæ aritudinis tempore ſuſcipimus, credimus Deum cæli ſolique architectum; ac proin eadem obſerare ac reſerare, telluriſque ſterilitatem in fœcunditatem (vt He-

Proceſſionum ordinatio, actus Latria.

Heliæ æuo) dum illi libitum fuerit , commutare posse.

Si frumentariâ difficultate, & esurie publicâ idem facimus; quid nisi palàm dictitamus: Deum esse, *qui dat escam omni carni:* qui pullis coruinis à parentibus desertis alimoniam sufficit; illum esse, qui pare piscium & quinis ex hordeo panibus, totidem hominum millia reddidit satura; illum denique omnium creaturarum architriclinum esse, quem assiduè panem quotidianum flagitamus, illum scilicet supplicabundi accedentes, vt ne victûs nos vnquam inopes fieri patiatur.

Ps. 135.

Si pestilentiâ grassante; significamus Deum esse, qui percutit & sanat, occidit & viuere facit; ideoque ad illum nos perfugere, vt ad verũ corporum animarumq; nostrarũ archiatrum, sororum Lazari vocibus dicentes: *Domine, ecce quẽ amas, infirmatur.* Ecce, Domine, peccator, quem tanto dignaris amore, vt huius hortatu tã infamẽ probrosamq; necem occubueris; peccator hic, aio, quem efflictim deperis, ægrescit, & manum medicam suspirat. Oramus cũ Dauide: *Sana Domine animã meã, quia peccaui tibi. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Sana me Domine, quoniam cõturbata sunt ossa mea.* Nimis malè est animæ meæ, Domine, quã-diu

Deut, 32.

Ioan. 11.

Psalm 6.

diu me, ſodes, detenturus es in hac inualentiâ? Quando me tandem percuraturus? *Dic Angelo percutienti; ceſſet iam manus tua.* Si deſtinaueris Angelum qui nos, ex merito ſcelerum noſtrorum, hâc lue contrucidet; non obluctamur, Domine; ſuperſedeat attamen aliquando tandem hâc plagâ; impera Angelo tuo exanime vulgus flagellanti, ſæuientem dexteram (quod nec Dauidi negaſti) ſuſtinere ac ſuſpendere.

Si tumultuante Marte, ſi alijs cladibus, quas humana gignit peruerſitas, patriam affligentibus: credendi honorem Deo tribuimus, quòd etſi hoſtiles turmæ, mordicùs teneant propoſitum internecinâ nos ſtrage excîdendi, neque vires illos deficiant aut facultas crudeliter cogitata expatrandi, Deo nihilominus promptum eſſe, conſilia illorum omnia procellere, corda euertere, aſtus euerrere, voluntates in fumos agere, quinimo machinationes atroces, in ipſoſmet reuibrare, quippe qui ſit *Terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.* Inſultamus aduerſarijs dicentes: *Inite conſilium, & diſsipabitur, quia nobiſcum Deus.* Dicimus cum virorum optimo Mardochæo: *Domine Rex omnipotens in ditione tuâ cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreueris ſaluare Iſrael.*

Pſal.65. *Eſth.13.*

Tu

IESV Christi & Sanctorum circumgestamus. Sacerdotes & Ascetæ vt intrepida castrorum acies, prægrediuntur Hierothecam ter Max. Sacr. tubas lituosque, hoc est, preces & hymnos diuinis auribus inflantes; promiscua verò plebes succedit, suas etiam orationes Sacerdotum attexens; certaque nos spes obtentat fore, vt pro nobis Deus cum inimicâ manu manus conferat, & quocunque detrimentorum incursu quassatis leuamina submittat; peræque, vt olim pro suâ gente belligerauit, sine machinâ aut prælio mœnia demoliens, & præcipuo eorum incolumitatem studio tuens.

Ad hæc, dum in processione Diuorum reliquias, Deiparæ Rosarium, D. Francisci resticulam, aut S. P. N. Augustini præcincturam circumferimus, vero douliæ actu palàm facimus, indigere nos cæli ciuium fauore, quos eo ritu in memoriam reducimus; & præfidere nos (quoniam precum nostrarum fructum delicta nostra præcerpunt) his auxiliatoribus suppletum iri defectum nostrum, gemitusque ita nostros solio diuinæ maiestatis exhibemus, vt quod nos non meremur, ad illorum respectum nanciscamur. Vsucapimus ergo illud Danielis: *Omnia quæ fecisti nobis*

nobis Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus, sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et illud regij vatis: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.*

Tertiò; in hac processione merum operamur actum pœnitentiæ, humiliando nos coram Deo, & fatentes, admissa nostra seuisse, quam metimus miseriarum messem; & quandoquidem nos eorum nunc incesserit displicentia, læsæque benignitatis diuinæ pigeat ac pudeat; conferre autem nos totos deinceps, ad emaculatius vitæ institutum proposuerimus: precamur, vt animum suum ab irâ, virgas à tergoribus nostris reuocare, flammisque mandare dignetur. Facimus vtique in processionibus illis nostris cum Deo, quod capitis rei cum principibus suis terrenis. *In processionibus verus actus pœnitentiæ.*

Fridericus Imperator, & vnà Sueuorum dux multo cùm tempore Mediolanum circumsedisset, & deditionem extorquere non posset, tantâ exarsit irâ, vt se ferrò ciuitatem ac face excisurum interminaretur. Quas eminationes hectæ pendentes obsessi, impigrè gnauiterque se defensauere, & multifarios Cæsarianorum *Ioannes Eckius serm. 1. de suppl.*

IESV Christi & Sanctorum circumgestamus. Sacerdotes & Ascetæ vt intrepida castrorum acies, prægrediuntur Hierothecam ter Max. Sacr. tubas lituosque, hoc est, preces & hymnos diuinis auribus inflantes; promiscua verò plebes succedit, suas etiam orationes Sacerdotum attexens; certaque nos spes obtentat fore, vt pro nobis Deus cum inimicâ manu manus conferat, & quocunque detrimentorum incursu quassatis leuamina submittat; peræque, vt olim pro suâ gente belligerauit, sine machinâ aut prælio mœnia demoliens, & præcipuo eorum incolumitatem studio tuens.

Ad hæc, dum in processione Diuorum reliquias, Deiparæ Rosarium, D. Francisci resticulam, aut S. P. N. Augustini præcincturam circumferimus, vero douliæ actu palàm facimus, indigere nos cæli ciuium fauore, quos eo ritu in memoriam reducimus; & præfidere nos (quoniam precum nostrarum fructum delicta nostra præcerpunt) his auxiliatoribus suppletum iri defectum nostrum, gemitusque ita nostros solio diuinæ maiestatis exhibemus, vt quod nos non meremur, ad illorum respectum nanciscamur. Vsucapimus ergo illud Danielis: *Omnia quæ fecisti no-*

bis

nobis Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus, sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et illud regij vatis: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.*

Tertiò; in hac processione merum operamur actum pœnitentiæ, humiliando nos coram Deo, & fatentes, admissa nostra seuisse, quam metimus miseriarum messem; & quandoquidem nos eorum nunc incesserit displicentia, læsæque benignitatis diuinæ pigeat ac pudeat; conferre autem nos totos deinceps, ad emaculatius vitæ institutum proposuerimus: precamur, vt animum suum ab irâ, virgas à tergoribus nostris reuocare, flammisque mandare dignetur. Facimus vtique in processionibus illis nostris cum Deo, quod capitis rei cum principibus suis terrenis. *In processionibus verus actus pœnitentiæ.*

Fridericus Imperator, & vnà Sueuorum dux multo cùm tempore Mediolanum circumsedisset, & deditionem extorquere non posset, tantâ exarsit irâ, vt se ferrò ciuitatem ac face excisurum interminaretur. Quas eminationes hectæ pendentes obsessi, impigrè gnauiterque se defensauere, & multifarios Cæsarianorum *Ioannes Eckius serm. 1. de suppl.*

IESV Christi & Sanctorum circumgestamus. Sacerdotes & Ascetæ vt intrepida castrorum acies, prægrediuntur Hierothecam ter Max. Sacr. tubas lituosque, hoc est, preces & hymnos diuinis auribus inflantes; promiscua verò plebes succedit, suas etiam orationes Sacerdotum attexens; certaque nos spes obtentat fore, vt pro nobis Deus cum inimicâ manu manus conferat, & quocunque detrimentorum incursu quassatis leuamina submittat; peræque, vt olim pro suâ gente belligerauit, sine machinâ aut prælio mœnia demoliens, & præcipuo eorum incolumitatem studio tuens.

Ad hæc, dum in processione Diuorum reliquias, Deiparæ Rosarium, D. Francisci resticulam, aut S. P. N. Augustini præcincturam circumferimus, vero double actu palàm facimus, indigere nos cæli ciuium fauore, quos eo ritu in memoriam reducimus; & præsidere nos (quoniam precum nostrarum fructum delicta nostra præcerpunt) his auxiliatoribus suppletum iri defectum nostrum, gemitusque ita nostros solio diuinæ maiestatis exhibemus, vt quod nos non meremur, ad illorum respectum nanciscamur. Vsucapimus ergo illud Danielis: *Omnia quæ fecisti no-*

bis

nobis Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus, sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et illud regij vatis: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.*

Tertiò; in hac processione merum operamur actum pœnitentiæ, humiliando nos coram Deo, & fatentes, admissa nostra seuisse, quam metimus miseriarum messem; & quandoquidem nos eorum nunc incesserit displicentia, læsæque benignitatis diuinæ pigeat ac pudeat; conferre autem nos totos deinceps, ad emaculatius vitæ institutum proposuerimus: precamur, vt animum suum ab irâ, virgas à tergoribus nostris reuocare, flammisque mandare dignetur. Facimus vtique in processionibus illis nostris cum Deo, quod capitis rei cum principibus suis terrenis. *In processionibus verus actus pœnitentiæ.*

Fridericus Imperator, & vnà Sueuorum dux multo cùm tempore Mediolanum circumsedisset, & deditionem extorquere non posset, tantâ exarsit irâ, vt se ferrò ciuitatem ac face excisurum interminaretur. Quas eminationes hectæ pendentes obsessi, impigrè gnauiterque se defensauere, & multifarios Cæsarianorum *Ioannes Eckius serm. 1. de suppl.*

R assul-

IESV Chriſti & Sanctorum circumgeſtamus. Sacerdotes & Aſcetæ vt intrepida caſtrorum acies, prægrediuntur Hierothecam ter Max. Sacr. tubas lituoſque, hoc eſt, preces & hymnos diuinis auribus inflantes; promiſcua verò plebes ſuccedit, ſuas etiam orationes Sacerdotum attexens; certáque nos ſpes obtentat fore, vt pro nobis Deus cum inimicâ manu manus conferat, & quocunque detrimentorum incurſu quaſſatis leuamina ſubmittat; peræque, vt olim pro ſuâ gente belligerauit, ſine machinâ aut prælio mœnia demoliens, & præcipuo eorum incolumitatem ſtudio tuens.

Ad hæc, dum in proceſſione Diuorum reliquias, Deiparæ Roſarium, D. Franciſci reſticulam, aut S. P. N. Auguſtini præcincturam circumferimus, vero doul$i$æ actu palàm facimus, indigere nos cæli ciuium fauore, quos eo ritu in memoriam reducimus; & præfidere nos (quoniam precum noſtrarum fructum delicta noſtra præcerpunt) his auxiliatoribus ſuppletum iri defectum noſtrum, gemituſque ita noſtros ſolio diuinæ maieſtatis exhibemus, vt quod nos non meremur, ad illorum reſpectum nanciſcamur. Vſucapimus ergo illud Danielis : *Omnia quæ feciſti no-*

bis

nobis Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus, sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et illud regij vatis: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.*

Tertiò; in hac processione merum operamur actum pœnitentiæ, humiliando nos coram Deo, & fatentes, admissa nostra seuisse, quam metimus miseriarum messem; & quandoquidem nos eorum nunc incesserit displicentia, læsæque benignitatis diuinæ pigeat ac pudeat; conferre autem nos totos deinceps, ad emaculatius vitæ institutum proposuerimus: precamur, vt animum suum ab irâ, virgas à tergoribus nostris reuocare, flammisque mandare dignetur. Facimus vtique in processionibus illis nostris cum Deo, quod capitis rei cum principibus suis terrenis. *In processionibus verus actus pœnitentiæ.*

Fridericus Imperator, & vnà Sueuorum dux multo cùm tempore Mediolanum circumsedisset, & deditionem extorquere non posset, tantâ exarsit irâ, vt se ferrò ciuitatem ac face excisurum interminaretur. Quas eminationes hectæ pendentes obsessi, impigrè gnauiterque se defensauere, & multifarios Cæsarianorum *Ioannes Eckius serm. 1. de suppl.*

Heliæ æuo) dum illi libitum fuerit , commutare posse.

Si frumentariâ difficultate, & esurie publicâ idem facimus; quid nisi palàm dictitamus: Deum esse, *qui dat escam omni carni:* qui pullis coruinis à parentibus desertis alimoniam sufficit; illum esse, qui pare piscium & quinis ex hordeo panibus, totidem hominum millia reddidit satura; illum denique omnium creaturarum architriclinum esse, quem assiduè panem quotidianum flagitamus, illum scilicet supplicabundi accedentes, vt ne victûs nos vnquam inopes fieri patiatur.

Ps. 135.

Si pestilentiâ grassante; significamus Deum esse, qui percutit & sanat, occidit & viuere facit; ideoque ad illum nos perfugere, vt ad verũ corporum animarumq; nostrarũ archiatrum, sororum Lazari vocibus dicentes: *Domine, ecce quẽ amas, infirmatur,* Ecce, Domine, peccator, quem tanto digna-ris amore, vt huius hortatu tã infamẽ probrosamq; necem occubueris; peccator hic, aio, quem efflictim deperis, ægrescit, & manum medicam suspirat. Oramus cũ Dauide: *Sana Domine animã meã, quia peccaui tibi. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Sana me Domine, quoniam cõturbata sunt ossa mea.* Nimis malè est animæ meæ, Domine, quãdiu

Deut, 32.

Ioan. 11.

Psalm 6.

diu me, ſodes, detenturus es in hac inualentiâ? Quando me tandem percuraturus? *Dic Angelo percutienti; ceſſet iam manus tua.* Si deſtinaueris Angelum qui nos, ex merito ſcelerum noſtrorum, hâc lue contrucidet; non obluctamur, Domine; ſuperſedeat attamen aliquando tandem hâc plagâ; impera Angelo tuo exanime vulgus flagellanti, ſæuientem dexteram (quod nec Dauidi negaſti) ſuſtinere ac ſuſpendere.

Si tumultuante Marte, ſi alijs cladibus, quas humana gignit peruerſitas, patriam affligentibus: credendi honorem Deo tribuimus, quòd etſi hoſtiles turmæ, mordicùs teneant propoſitum internecinâ nos ſtrage excîdendi, neque vires illos deficiant aut facultas crudeliter cogitata expatrandi, Deo nihilominus promptum eſſe, conſilia illorum omnia procellere, corda euertere, aſtus euerrere, voluntates in fumos agere, quinimo machinationes atroces, in ipſoſmet reuibrare, quippe qui ſit *Terribilis in conſilijs ſuper filios hominum.* Inſultamus aduerſarijs dicentes: *Inite conſilium, & diſsipabitur, quia nobiſcum Deus.* Dicimus Pſal.65. cum virorum optimo Mardochæo: *Domine Rex omnipotens in ditione tuâ cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſsit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreueris ſaluare Iſrael.* Eſth.13.

Tu

Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur, Dominus omnium es, nec est qui tuæ resistat maiestati. Cum Ecclesiâ: *Tua est potentia, tuum regnum Domine, tu es super omnes gentes: da pacem Domine in diebus nostris.* Has & cõsentaneas processionibus nostris preces adhibemus, per quas publicè condocefacimus, Deum esse proauctorem & Dominum omnium, qui priuatæ auctoritatis iure, occludere cælos, & recludere: suos morbis corripere, & morbidos corrigere, flagitijs vlciscendis bella ciere; conspectis tamen anhelis rogatis nostris, applicata tergis flagra reuocare, & bilem in oppositas nobis partes retorquere, eamque stirpitùs exterminare præpossit.

In processionibus fidẽ nostram publicamus.

Secundò; in solemnibus processionibus fidei nostræ professionem publicam facimus. Quandoquidem enim plerumque circumfertur in ijs venerandum Saluatoris nostri corpus, & alia Sanctorum lipsana, vociferamur quasi reapse, indubitabili nos fide asserere IESVM Christum realiter & essentialiter corpore pariter & animâ contineri in ter augustissimo Eucharistiæ Sacramento, & vnicum illum esse, à cuius auxilio nostra perplexis in rebus salus dependeat. Israelis hoc facto progeniem imitamur. Quam cum Iosue in promissam re-

regionem dux præiret, obluctantes inuenit Ierichuntinos, subortâque de peruicacis oppidi irruptione controuersiâ, præsto adfuit Angelus Domini mandans Archistratego vrbem quasi processionis in modum circumuadere. Curæ igitur illi fuit, in hac processione arcam fœderis continuis sex diebus conferri: die autem septimi, septenis hanc vicibus circuitionem tali ordine repetiuere. Anteibant arcam septem Sacerdotes æneatores, illos verò armis instructus populus; vulgo reliquo arcam subsequente. Sacerdotes buccina tubasque suas valenter inflarunt; quorum, & totius exercitûs summâ contentione elatæ vocis clangore, muri subitò corruere incursaque vrbe, omnes ad vnum solâ Rahabâ pellice exemptâ peremerunt.

In hoc mundo, omnes sumus in itinere, quo ad terram promissam beatificam nempe visionem summo Ecclesiæ duce, qui Romanus est Pontifex, eoque perueniendi fiduciâ, contendimus; sed crebra interim intercursant obstacula; qualia sunt pestilentia, arctior annona, furor bellicus, schismaticæ hæreticæque factiones; & aliæ non mitiores intemperiæ, quæ ne capitibus nostris impluant, processiones has opponimus, in quibus arcam pretiosi corporis

IESV Christi & Sanctorum circumgestamus. Sacerdotes & Ascetæ vt intrepida castrorum acies, prægrediuntur Hierothecam ter Max. Sacr. tubas lituosque, hoc est, preces & hymnos diuinis auribus inflantes; promiscua verò plebes succedit, suas etiam orationes Sacerdotum attexens; certaque nos spes obtentat fore, vt pro nobis Deus cum inimicâ manu manus conferat, & quocunque detrimentorum incursu quassatis leuamina submittat; peræque, vt olim pro suâ gente belligerauit, sine machinâ aut prælio mœnia demoliens, & præcipuo eorum incolumitatem studio tuens.

Ad hæc, dum in processione Diuorum reliquias, Deiparæ Rosarium, D. Francisci resticulam, aut S. P. N. Augustini præcincturam circumferimus, vero douliæ actu palàm facimus, indigere nos cæli ciuium fauore, quos eo ritu in memoriam reducimus; & præfidere nos (quoniam precum nostrarum fructum delicta nostra præcerpunt) his auxiliatoribus suppletum iri defectum nostrum, gemitusque ita nostros solio diuinæ maiestatis exhibemus, vt quod nos non meremur, ad illorum respectum nanciscamur. Vsucapimus ergo illud Danielis : *Omnia quæ fecisti nobis*

nobis Domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus, sed da gloriam nomini tuo, & fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et illud regij vatis: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.*

Tertiò; in hac processione merum operamur actum pœnitentiæ, humiliando nos coram Deo, & fatentes, admissa nostra seuisse, quam metimus miseriarum messem; & quandoquidem nos eorum nunc incesserit displicentia, læsæque benignitatis diuinæ pigeat ac pudeat; conferre autem nos totos deinceps, ad emaculatius vitæ institutum proposuerimus: precamur, vt animum suum ab irâ, virgas à tergoribus nostris reuocare, flammisque mandare dignetur. Facimus vtique in processionibus illis nostris cum Deo, quod capitis rei cum principibus suis terrenis. *In processionibus verus actus pœnitentiæ.*

Fridericus Imperator, & vnà Sueuorum dux multo cùm tempore Mediolanum circumsedisset, & deditionem extorquere non posset, tantâ exarsit irâ, vt se ferrò ciuitatem ac face excisurum interminaretur. Quas eminationes hectæ pendentes obsessi, impigrè gnauiterque se defensauere, & multifarios Cæsarianorum *Ioannes Eckius serm. 1. de suppl.*

aſſultus repulere. Sed ad extremum, viribus ſuis diffidentes, communi conſulto ſtatuere, ſeipſos, coniuges, liberos, mobilia immóbiliaque bona, vrbem, & quidquid ex eâ dependebat Auguſti miſericordiæ ſubſtratum ire; Porrò, quia eundem non vno offenſarum genere grauiter exaſperarant, præmetuentes, ne ad vrbis ingreſſum commune de omnibus ſupplicium ſumeret; claues offerentes extra muros illi, proceſſionis in formam occeſſere. Eccleſiaſticis, & Cœnobitis Reliquiarum gerulis, agminiſque ductoribus, ſuccenturiabatur bifidum promiſcui ſexûs impuberum, candidulis togulis opertorum, virideſque ramulos præferentium examen. Succedebant nubiles ciuium ſplendidore mundo comptæ filiæ; pone quas pullis intectæ pallis ſubibant matronæ. Has dein nudis verticibus admotos iugulo mucrones geſtantes, ſequebantur Optimates. Agmen claudebant millia è plebitate mortalium, excalceatis pedibus procedentium, penſiles è ceruice laqueos oſtentantium, & his vocibus: *Miſerordiam, miſericordiam cariſſime Cæſar* exululantium. Quâ ſanè ſupplicatione, Imperatoria bilis expugnata, adeoque depreſſa eſt; vt is qui antè omnes è me-

medio tollere; obfirmatum habuerat, ab irâ ad gratiam deflexus, deleuerit omnes dehinc ex animo offensas. Iamdiu quoque maximus imperantum Deus obsidio corda nostra cinxit: & creberrimè interim Angelos, Ecclesiastes, aliosque Dei Accensos tanquam sequestros, & fœciales, qui deditionem nobis reconciliationemque suaderent, destinauit; quin & ipsemet frequens hortator aduenit, nobisque insusurrauit: *Ego sto ad ostium & pulso.* Ego præ valuis consisto: pande mihi (est enim mea) ciuitatem. Sed nos (prò pudor!) pulsitantem despectui, neglectuique habentes, *percußimus fœdus cum morte, & cum* inferno fecimus pactum. Nobis neque Numen, neque homines, neque inferi formidini fuere. Deus itaque sic contemptui habitus, ad excidium nostri pedibus manibusque fertur.

Apoc. 3.

Isa. 28.

Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis. Ego autem prouocabo eos in eo qui non est populus: ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Congregabo super eos mala; consumam eos fame, dentes bestiarum immittam in eos. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor; iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. Acuam vt fulgur gladium meum, sagittas

Deut. 31.

meas complebo in eis, & inebriabo illas ſanguine, vt profuſam induant crudelitatem. In ſumma; *Gladius meus, ait Dominus, deuorabit carnes.* Vitam huic enſe adimam; alium peſtilenti anthrace necabo: fatagam herculè verò, vt ne memoria quidem ipſorum manet ad poſteros. Cùm igitur perſpicimus irarum læſi Numinis acerbitatem, capita conferimus, & cælicæ clementiæ ſubſterni, conſultamus: pandimus illi cordis noſtri pœnitudinis claue, penetralia; & in ſubijcis animi teſtimonium, procedimus illi obuiam; Sacerdotes anteambulant, ſubit vulgus, nihil præter vnicam miſericordiam ingeminantes, & ingemendo vociferantes. *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon*; & quæ ſequuntur. Exẽplo nẽpe Iacobi Patriarchæ inſtructi hoc facimus. Qui è Meſopotamia redux & ad fratris ſui Eſau quadringẽtorum virorum turmam ſecum trahentis occurſum perpauefactus, familiam ſuam ad imaginem proceſſionis diſtinxit: poſitis in primâ ſerie, ancillis & earum liberis: in ſecundâ, Liâ cum prole: in tertiâ excellentis formæ Rachele, cum deliciolo ſuo Ioſepho: ipſe verò, corporis & animi habitu demiſſis, gregem finiebat, fratremque ſuum ſubmiſſis poplitibus ſepties adorabat.

Quod

Quod obtutus Esau, qui hactenus cum fratre diutinas exercuerat simultates, euolans in amplexum illius oppegit osculum, & gaudij nimius illachrimauit. Nos quoque quid, sodes, aliud processionibus nostris molimur? Ter maximus ille Deus, non leniter nobis succenset; sed in hâc processione, occursamus illi, quò placetur. Cùm liberis suis famulas præmittimus, dum Litanias admodulando, omnis ætatis & sexûs diuos, sincera Dei seruitia, quæ eius iracundiam findant, subsidio colligimus; Liam cum sobole submittimus, cùm pœnitentiæ laude claras nurus, (culparum vitio obscœnè olim lippientes) SS. Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, Pelagiam, complures alias aduocamus; vt earum intercessu, irâ diffidens à nobis Deus, amicitiâ rursum coniungatur.

Inducimus quoq; in hanc pompam Rachelem, Iosepho latus eius claudente; cùm gratiosæ Virginis Mariæ, & felicium Nympharum omnium fauentiam aucupamur: In pumilo Ioseph, libertatis nostræ tutoris Christi IESV instar est; qui à fratribus nihilo seciùs, quàm Ioseph fœdè venijt. Deferimus nobilissimum Eucharistiæ Sacramentum: confisi; Deum Patrẽ,

qui in criminum nostrorum pœnam, domos superas oppessulauit: malignâ lue, belli incommodis, angustijs frumentarijs, alijs nos stragibus plexuit, sæuiens brachium coerciturũ, & quæuis nobis necessaria, vt in Ægyptiacâ fame Ioseph fecit, prospecturum. Et nos denique tanquam Iacob subsequimur, adsternimur, inclinamur, gradum sistimus, procedimus, geniculamur; variis hís gestibus quàm possumus altissimam commonstrantes humilitatem, robústâ spe freti: Deum, qui antea velut Esau, creaturis in perniciem nostram obarmatus exierat, nunc exarmatum obuijs nos lacertis implicaturũ, & per amico acceptaturũ suauio.

Stationũ obseruatio in processionibus etiã pœnitentiæ Symbolum est.

Dum stationibus processiones interstinguimus, vno se ad terram pandato genu acclinante, altero erecto corpore perstante; eâ ceremoniâ lapsus nostros humiliter aperimus Publicani sequaces, qui *stans à longè percutiebat pectus suũ, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Item Leprosi, eminùs post tergus Saluatoris nostri clamitantis: *Iesu præceptor miserere mei.* Sic & nos dum alij humi se fundunt, alij in pedes-erecti perstant cogitationes in diuinâ iustitiâ figimus; quam flagitijs nostris lacessiuimus: prodimus hoc gestu, de esse nobis audaciam, Deo veniæ

cau-

causâ proximandi, ne infræni illius iuſtitiâ diffindamur ac diffringamur permetuẽtes. Exhibemus etiam non fucoſi amoris indicium, dum vtraſque volas, inter preces oppangimus. Vt enim capitis damnati ad luẽdas pœnas exeuntes manus plerunq; commiſſas habẽt, ita & nos eaſdẽ corã Deo cõpingendo notificamus, nos offenſæ diuinæ maieſtatis reos, & hinc modo quo dixi manus conuincimus, nemeſios diuinæ duritiem præueniendo, eius nos miſericordiæ in ſolidum ſubijcientes æqui facturi boniq́ue, quidquid illi humeris noſtris iniectare libuerit.

Manuariũ palmarum iũctio in proceſsionibus eſt etiam verus pœnitẽtia actus.

Dicimus cum Pſalmicine: *Ego autem in flagella paratus ſum.* Hîc me ſecato, hîc vrito, vt te poſt fata ſaltem mitẽ ac placidum experiar. Porrò, dum humo leuati vlteriùs protendimus, hoc etiam geſtu innuimus, inconcuſsâ nos fiduciâ Dei miſericordiam præſtolari, qui ſe dixit peccatori pœnitentiã agenti facinora relaxaturum. Præcedimus illum ſpe aliti, nos facilem illum nobis, & petitionibus noſtris acclinem habituros. Ecce tibi mali omnis, quod proceſſiones noſtræ proferunt, & tam furenter noſtrates hæretici allatrant, breuiarium.

CAPVT XXXVIII.

Compendiosa ad Sodales super Indulgentiis Zonigeræ Sodalitati concessis, instructio.

D. Tho. 1.2.q.86.

QVò neminem fugiat, quid facto sibi sit opus, vt antè dictarum Indulgentiarum vsufructu potiatur, notandum fuerit.

Primò; in omni mortifero reatu duo reperiri, *Culpam* nimirum, quæ nihil est aliud, quàm quædam, in peccatoris à Deo auersi, eius odio dignissimi, amore, gratiâ, fauore indignissimi perpetuæ damnationi deuoti, animâ, quâ sordidatus est macula. Alterum, quod lætali noxæ aut vt comes adhæret, aut vt proles ex eâ nascitur: est *Pœna æterna*, in eo sita, quòd ea peccatorem verberet sententia, vt iugiter, & in omnem æternitatem non solùm beatissimâ Maiestatis diuinæ priuetur fruitione, sed insuper, sensus omnes ac partes sui in cruciatibus impatibilibus perennent.

Culpa per pœnitentiã eluitur, sed non omnis

Secundò; animaduertendũ venit, quod cùm miser peccator Dei gratiâ fotus inueteratis erepit è sordibus, & ad portum misericordiæ eius pœnitentiæ latus tabulâ enatat, *Culpa* quidem peccati extergitur, & ita con-

condonatur, vt huius caussâ non sit vnquã condemnandus, non autem pœna ex delicto procedens; quæ non semper ex integro, sed ex parte dumtaxat expungitur: permutatâ sempiternâ in temporalem; quam pendat necesse est, aut in hoc sæculo, per opera satisfaciendi vim sortientia, aut per ignes piaculares in postfuturo, donec extremum persoluerit denarium. *semper pœna remittitur*

Tertiò; temporalem illam pœnam, cui sic manet adstictus pœnitens, posse, aut partim, aut integrè per Indulgentias misericorditer illi collatas, & ob pias aliquot summorum Ecclesiæ Præsidum rationes, remitti. Quarum Indulgentiarum, & pœnalium laxamentorum à Pontificibus impetratorum vi, quisquis pœnitentium ille fuerit, non est deinceps obligatus, neque coram hominibus (quoad forum nempe conscientię) neque coram Deo, exsoluere pœnam quampiam: si modò quantum in se fuerit, examussim effecta dederit, quæ ad potiendum Indulgentijs Sacrorum Reges edixere. *Per Indulgentias tota delictorũ pœna relaxari potest.*

CAPVT XXXIX.

In quo consistant potissimùm omnes Indulgentiæ.

Bellar. tract. de Indulg.

Indulgẽtiæ consistunt in infinito thesauro ex Iesu Christi & SS. meritis accumulato.

PRincipaliter vtique in thesauro quodam infinito, quo gaudet Ecclesia; ex tormentis & satisfacientibus Christi IESV meritis, præcipuè maximeque congesto & accumulato. Thesauro, inquam, infinito; eò quòd non sacrosancta modò passio, sed & omnes Redemptoris nostri actiones, (quibus immensus hic conflatus est thesaurus) incomparabilis sint pretij, abundeque sufficientes, vt pro mille talibus, qualis hic est, mundis faciant satis. Cùm igitur thesaurus hic inexhaustus sit, & in vnius dumtaxat mundi gratiam vsumq; resignatus, imò vix decima pars incolarum (quorum aliquot necdum imbuit vera Dei opinio; aliquos hæretica porrigo funestat, aliqui non frugi Christiani sunt) illũ participet; fit vt hic thesaurus æquè semper plenus atque differtus maneat, licèt inde singulis diei horis quidpiam vsque dematur, quod per modum indulgentiæ pœnitentibus applicetur.

Dixi præterea; inæstimabilem hanc ga-

zam

zam, *præcipuè maximeq́; per ſupplicia, & ſatisfaciendi vim habentia Ieſu Chriſti opera* comparatam eſſe: eò quòd in eâdem inueniantur pœnæ & perſoluentia tam glorioſæ Virginis Mariæ, quàm Diuorum cæterorum merita, qui pluria hoc in munda pependere ſupplicia, quam peccatis eorum debebantur. Exempli gratiâ:

Eâ puritate ac munditie diradiauit augusta Mater, vt non ſolùm nullâ ſe vnquam actiuâ, veniali, aut lætiferâ labe collutularit; quin piè credimus, illam originalis cõtagij aut penitùs expertem fuiſſe, aut, vt minimum, primo, ſecundòue conceptionis inſtanti, emaculatam: quem fugit tamen, quantum malorum in hoc orbe terrarum deuorauerit, ſe pro derelicto haberi, mœchæ ſtigmate notari, ab Herodianâ immanitate in Ægyptum fugari, ſuauiſſimum vteri pondus taureis diſcerpi, lauernalibus manicis illigari, indecorè per oppidum diſtrahi, opprobrijs vexationibuſque offerciri, crudeliter denique patibulari conſpiciens? Hæc reuera, & huiuſce generis ſexcenta alia tantopere illam in hoc mundo diſcruciarunt, vt grandæui Simeonis ore Spiritus ſanctus *ſuamipſius animam doloris gladium tranſiturum*, diuinauerit. Cùm igitur hâc ſanctitudine ſupereminuerit; nec vllâ

pror-

prorſum ſorde, quæ peniculo egêret, obſita fuerit; vbi eius ergò torſiones, & merita?
Ierem.1. In theſauro certè Eccleſiæ, filij meritis aggregata. Idem de Hieremiâ, idem de S. Ioanne Baptiſtâ dicendum; qui licet tam largâ pro ſeipſis expiatione opus non haberent (quippe quos in matrice cum ipsâ ſanctitate coalitos conſtat) non putauêre tamen acria pœnitentiæ exercitia intermittenda. Quid enim non tolerauit prior in verbi Dei nuntio? quantâ ſe poſterior inediâ macerauit in abſtrusâ à teneris inſeſſa eremo? vbi ergò hæ illorum præmio dignæ afflictationes? In theſauro Eccleſiæ, IESV Chriſti meritis admiſtæ.

Quid Apoſtoli, à conuerſione tantâ præditi iuſtitiâ, vt D. Paulus, è ſummis olim peccatoribus vnus de ſeipſo dicat: *Nihil mi-*
1.Cor.4. *hi conſcius ſum.* Et: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & in ſinceritate Dei, & non in ſapientiâ*
2.Cor.1. *carnali, ſed in gratiâ Dei conuerſati ſumus in hoc mundo?* Hâc tamen ſanctimoniâ nihil obſtante, tam valido ac vario difficilium arduarumque aduerſitatum incurſu vapularunt, vt omnium nomine dicat idem: *Vſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus; & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Male-*

dici-

dicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc. Vbi, quæso sunt, hæ desatigationes, labores & actus meritorij? quæ indubiè plurimis vincunt passibus anteriores lapsæ mentis errores? In thesauro Ecclesiæ. Nec aliter de carnificiis sudoribusque millium martyrum, de pœnalibus in seipsos animaduersionibus, corporeisque domituris innumerorum Confessorum, Virginum, & Anachoretarum loquendum est; qui suæ spontis instinctu, acerbiùs in seipsos, quàm eorum delicta deposcerent, desæuiere; quæ quidem exuberantes superque fluentes pœnæ (quoniam eas æquissimus Agonotheta obliuione non obruit) sunt Ecclesiasticum in ærarium, superabundantibus IESV Christi meritis (earum vt nos participes confiamus) coaceruatæ.

Nihilum verò Christi meritis hoc pacto, satisque facientibus eius operibus derogamus. Nam (absque eo quod stabili fide credimus, per sola illa inexputabilium hominum flagitijs redundanter sufficere) vis omnis quæ Diuorum subest satisfactioni ex eius meritis, & exolutione proficiscitur: cui sanè parùm fuit, vniuersaliter omnium

omnium debita erasisse; nisi & Sanctos suos auctoritate sibimet priuatim merendi: meritorumque suorum superpondium cũ indigentibus partiendi, felicitaret.

CAPVT XL.

Secundum, in quo potissimè consistunt omnes Indulgentiæ, punctum.

Indulgentiæ etiam sitæ sunt in auctoritate Ecclesiæ de super datâ.

HOc autem est Auctoritas quædam ac potestas, quâ Deus dotauit Ecclesiam; cuius virtute permissum est sacris Ecclesiæ Monarchis pœnas ac merita tam IESV Christi superabundantia communicare cum ijs, qui Christianorum pyctacio inseri superuiuunt, & qui emortui iacent, vbi omne vitium per ignem excoquitur, vt illorum meritis suppleatur, quidquid ad completam pro pœnis malefactis debitis & solutionem in solidum desit.

Quæ potestas illo Dominico ad Vicarium suum promisso nititur: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Ac deinde, vt insinuet, hoc se promissum, etiam ad successores eius protrahere, repetit plurali numero: *Quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cælis.* Præmiserat paulò anterius

Matt. 6.

Matt. 18.

tiùs Mundi Seruator: *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Si te non audierit, dic Ecclesiæ; quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. At ne despiceretur Ecclesia, subiunxit tantæ amplitudinis eius potestatem fore, vt quidquid in terris nodarent enodarentúe eius Præstites, nodatum enodatumque esset in astris. Sic ergò; ceu credimus fecisse illum his verbis Ecclesiæ suæ facultatem, priuata sua merita applicandi per sacrum Pœnitentiæ Sacramentum, ad dissoluendos scelerum cassibus innexos, ita quoque credendum, addidisse illi & facultatem, etiam pœnas, & merita propria superefflua, per indulgentias ad peccatores pœnis flagitijs dignis compeditos, libertate donandos. & hinc pluralis illa locutio: *Quodcunque solueritis super terram, erit solutum in cælis.* hoc est; omnia omnino, quæ vos dissueritis, vincula. Veritati igitur assidet, peccatores non modò culpâ, sed & pœnâ, è peccatis natâ vinctos esse, indulgetque idcirco, vt à culpâ dimittamur, applicando nobis merita per Pœnitentiæ Sacramentum, & à *pœna*, pendendâ nobis restante per applicationem illarum satisfactionum, Indulgentiarum nobis beneficio adhibitarum. Non foret demonstratu operosum, veram hanc doctrinam

Auctoritas conferendi indulgẽtias D. Petro & successoribus data.

in

in praxi fuiſſe verſatam ab Apoſtolorum, in hoc vſque tempus, niſi prolixitatis fugax forem; plurium appetentior Bellarminum tractatu de Indulgentijs, alioſque Doctores conſultum vadat.

CAPVT XLI.

Biſarij generis Indulgentiæ Zonigeræ Sodalitati collatæ. Item principes rationes, quæ SS. Patres ad hoc inſtigarunt.

ANnotatu dignum eſt, Indulgentias, quarum hoc in opuſculo meminimus, alias ſuperſtitibus, alias extinctis conceſſas, aliter ijſdem atque aliter impendi. Illis enim per modum iuridicæ abſolutionis; his autem per modum ſatisfacere ſatagentis ſuffragii; ita vt, quemadmodum aliquis aut eleëmoſynam dilargiens, aut genium fraudans, aut peregrinationem ſuſcipiens pro denatis, non adimit illis pœnas, ſed in eum finem dedicat Deo vnum è prędictis pijs operibus, vt id Deus vitâ functorum nomine ſuſcipiens, illos à tormentis quibus alioqui perdurandum fuiſſet, deuocare dignetur: compari ratione, dicente Pontifice Maximo, quòd exequēdo hæc

Differitas inter Indulgētias viuorũ, & mortuorum.

hæc aut illa pietatis ſtudia, anima quædam è purgatoribus rogis deducenda ſit, non abſoluit iuridicè huiuſcemodi animam à debitis ſupplicijs (quod facit viuis, condonans illis *culpam* per Sacramentum Pœnitentiæ, & *pœnam* per Indulgentias) ſed offert dumtaxat præſentatque Deo exuberantia IESV Chriſti & Sanctorum merita pro tali animâ; quibus ſic ab illo animæ nomine acceptatis, eidemque aſſignatis, euadit pœnas in igneo lacu ex aſſe perſoluendas.

Intercedit quoque differentia nonnulla inter preces ſiue ſuffragia ordinariæ, quæ à pijs pro exanimium ſalute concipiuntur (quod genus ſunt Officium Defunctorum, peregrè abitiones, eſuriales feriæ, Miſſarum litamina) & inter ea quæ Tiberinus Archimyſta facit Indulgentiarum virtute. Priora enim illa priuato cuilibet Deo pro eiſdem offerre licitum eſt. Indulgentiarum autem modo, nemini homini præter quam Romano illi ſacrorum Promo-condo: cùm ad hoc requiratur iuriſdictio opulentiſſimum hunc theſaurum diſponẽdi ac diſpenſandi, quæ priuato nulli ſed illi ſoli competit, qui audiit: *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Verùm, quia nõ ſufficit cancellari depoſitum hoc in Eccleſiâ, nec

Diuerſitas inter ordinaria ſuffragia, & illa quæ fiũt per modum indulgentiarum.

CAPVT XXXVIII.

Compendiosa ad Sodales super Indulgentiis Zonigeræ Sodalitati concessis, instructio.

D.Tho. 1.2.q.86.

QVò neminem fugiat, quid facto sibi sit opus, vt antè dictarum Indulgentiarum vsufructu potiatur, notandum fuerit.

Primò; in omni mortifero reatu duo reperiri, *Culpam* nimirum, quæ nihil est aliud, quàm quædam, in peccatoris à Deo auersi, eius odio dignissimi, amore, gratiâ, fauore indignissimi perpetuæ damnationi deuoti, animâ, quâ sordidatus est macula. Alterum, quod lætali noxæ aut vt comes adhæret, aut vt proles ex eâ nascitur: est *Pœna æterna*, in eo sita, quòd ea peccatorem verberet sententia, vt iugiter, & in omnem æternitatem non solùm beatissimâ Maiestatis diuinæ priuetur fruitione, sed insuper, sensus omnes ac partes sui in cruciatibus impatibilibus perennent.

Culpa per pœnitentiã eluitur, sed non omnis

Secundò; animaduertendũ venit, quod cùm miser peccator Dei gratiâ fotus inueteratis erepit è sordibus, & ad portum misecordiæ eius pœnitentiæ latus tabulâ enatat, *Culpa* quidem peccati extergitur, & ita con-

condonatur, vt huius caussâ non sit vnquã condemnandus, non autem pœna ex delicto procedens; quæ non semper ex integro, sed ex parte dumtaxat expungitur: permutatâ sempiternâ in temporalem; quam pendat necesse est, aut in hoc sæculo, per opera satisfaciendi vim sortientia, aut per ignes piaculares in postfuturo, donec extremum persoluerit denarium.

semper pœna remittitur

Tertiò; temporalem illam pœnam, cui sic manet adstictus pœnitens, posse, aut partim, aut integrè per Indulgentias misericorditer illi collatas, & ob pias aliquot summorum Ecclesiæ Præsidum rationes, remitti. Quarum Indulgentiarum, & pœnalium laxamentorum à Pontificibus impetratorum vi, quisquis pœnitentium ille fuerit, non est deinceps obligatus, neque coram hominibus (quoad forum nempe conscientię) neque coram Deo, exsoluere pœnam quampiam: si modò quantum in se fuerit, examussim effecta dederit, quæ ad potiendum Indulgentijs Sacrorum Reges edixere.

Per Indulgentias tota delictorũ pœna relaxari potest.

CAPVT XXXIX.

In quo consistant potissimùm omnes Indulgentiæ.

Bellar. tract. de Indulg.

Indulgētiæ consistunt in infinito thesauro ex Iesu Christi & SS. meritis accumulato.

PRincipaliter vtique in thesauro quodam infinito, quo gaudet Ecclesia, ex tormentis & satisfacientibus Christi IESV meritis, præcipuè maximeque congesto & accumulato. Thesauro, inquam, infinito; eò quòd non sacrosancta modò passio, sed & omnes Redemptoris nostri actiones, (quibus immensus hic conflatus est thesaurus) incomparabilis sint pretij, abundeque sufficientes, vt pro mille talibus, qualis hic est, mundis faciant satis. Cùm igitur thesaurus hic inexhaustus sit, & in vnius dumtaxat mundi gratiam vsumq; resignatus, imò vix decima pars incolarum (quorum aliquot necdum imbuit vera Dei opinio; aliquos hæretica porrigo funestat, aliqui non frugi Christiani sunt) illū participet; fit vt hic thesaurus æquè semper plenus atque differtus maneat, licèt inde singulis diei horis quidpiam vsque dematur, quod per modum indulgentiæ pœnitentibus applicetur.

Dixi præterea; inæstimabilem hanc ga-

zam,

zam, *præcipuè maximeq́; per supplicia, & satisfaciendi vim habentia Iesu Christi opera* comparatam esse: eò quòd in eâdem inueniantur pœnæ & persoluentia tam gloriosæ Virginis Mariæ, quàm Diuorum cæterorum merita, qui pluria hoc in munda pependere supplicia, quam peccatis eorum debebantur. Exempli gratiâ:

Eâ puritate ac munditie diradiauit augusta Mater, vt non solùm nullâ se vnquam actiuâ, veniali, aut lætiferâ labe collutularit; quin piè credimus, illam originalis cōtagij aut penitùs expertem fuisse, aut, vt minimum, primo, secundóue conceptionis instanti, emaculatam: quem fugit tamen, quantum malorum in hoc orbe terrarum deuorauerit, se pro derelicto haberi, mœchæ stigmate notari, ab Herodianâ immanitate in Ægyptum fugari, suauissimum vteri pondus taureis discerpi, lauernalibus manicis illigari, indecorè per oppidum distrahi, opprobrijs vexationibusque offerciri, crudeliter denique patibulari conspiciens? Hæc reuera, & huiusce generis sexcenta alia tantopere illam in hoc mundo discruciarunt, vt grandæui Simeonis ore Spiritus sanctus *suamipsius animam doloris gladium transiturum*, diuinauerit. Cùm igitur hâc sanctitudine supereminuerit; nec vllâ

pror-

prorſum ſorde, quæ peniculo egêret, obſita fuerit; vbi eius ergò torſiones, & merita? Ierem. 1. In theſauro certè Eccleſiæ, filij meritis aggregata. Idem de Hieremiâ, idem de S. Ioanne Baptiſtâ dicendum; qui licet tam largâ pro ſeipſis expiatione opus non haberent (quippe quos in matrice cum ipsâ ſanctitate coalitos conſtat) non putauêre tamen acria pœnitentiæ exercitia intermittenda. Quid enim non tolerauit prior in verbi Dei nuntio? quantâ ſe poſterior inediâ macerauit in abſtrusâ à teneris inſeſſa eremo? vbi ergò hæ illorum præmio dignæ afflictationes? In theſauro Eccleſiæ, IESV Chriſti meritis admiſtæ.

Quid Apoſtoli, à conuerſione tantâ prædititi iuſtitiâ, vt D. Paulus, è ſummis olim peccatoribus vnus de ſeipſo dicat: *Nihil mi-* 1. Cor. 4. *hi conſcius ſum.* Et: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & in ſinceritate Dei, & non in ſapientiâ* 2. Cor. 1. *carnali, ſed in gratiâ Dei conuerſati ſumus in hoc mundo*? Hâc tamen ſanctimoniâ nihil obſtante, tam valido ac vario difficilium arduarumque aduerſitatum incurſu vapularunt, vt omnium nomine dicat idem: *Vſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Male-*

dici-

dicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus; blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc. Vbi, quæso sunt, hæ defatigationes, labores & actus meritorij? quæ indubiè plurimis vincunt passibus anteriores lapsæ mentis errores? In thesauro Ecclesiæ. Nec aliter de carnificiis sudoribusque millium martyrum, de pœnalibus in seipsos animaduersionibus, corporeisque domituris innumerorum Confessorum, Virginum, & Anachoretarum loquendum est; qui suæ spontis instinctu, acerbiùs in seipsos, quàm eorum delicta deposcerent, desæuiere; quæ quidem exuberantes superque fluentes pœnæ (quoniam eas æquissimus Agonotheta obliuione non obruit) sunt Ecclesiasticum in ærarium, superabundantibus IESV Christi meritis (earum vt nos participes confiamus) coaceruatæ.

Nihilum verò Christi meritis hoc pacto, satisque facientibus eius operibus derogamus. Nam (absque eo quod stabili fide credimus, per sola illa inexputabilium hominum flagitijs redundanter sufficere) vis omnis quæ Diuorum subest satisfactioni ex eius meritis, & exolutione proficiscitur: cui sanè parùm fuit, vniuersaliter

omnium

omnium debita erasisse; nisi & Sanctos suos auctoritate sibimet priuatim merendi: meritorumque suorum superpondium cũ indigentibus partiendi, felicitaret.

CAPVT XL.

Secundum, in quo potissimè consistunt omnes Indulgentiæ, punctum.

Indulgentiæ etiam sitæ sunt in auctoritate Ecclesiæ desuper datâ.

HOc autem est Auctoritas quædam ac potestas, quâ Deus dotauit Ecclesiam; cuius virtute permissum est sacris Ecclesiæ Monarchis pœnas ac merita tam IESV Christi superabundantia communicare cum ijs, qui Christianorum pyctacio inserti superuiuunt, & qui emortui iacent, vbi omne vitium per ignem excoquitur, vt illorum meritis suppleatur, quidquid ad compleram pro pœnis malefactis debitis & solutionem in solidum desit.

Quæ potestas illo Dominico ad Vicarium suum promisso nititur: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Ac deinde, vt insinuet, hoc se promissum, etiam ad successores eius protrahere, repetit plurali numero: *Quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cælis.* Præmiserat paulò anterius

Matt. 6. *Matt. 18.*

tiùs Mundi Seruator: *Si peccauerit in te frater tuus,&c.* Si te non audierit, dic Ecclesiæ; quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. At ne despiceretur Ecclesia, subiunxit tantæ amplitudinis eius potestatem fore, vt quidquid in terris nodarent enodarentúe eius Præstites, nodatum enodatumque esset in astris. Sic ergò; ceu credimus fecisse illum his verbis Ecclesiæ suæ facultatem, priuata sua merita applicandi per sacrum Pœnitentiæ Sacramentum, ad dissoluendos scelerum cassibus innexos, ita quoque credendum, addidisse illi & facultatem, etiam pœnas, & merita propria superefflua, per indulgentias ad peccatores pœnis flagitijs dignis compeditos, libertate donandos. & hinc pluralis illa locutio: *Quodcunque solueritis super terram, erit solutum in cælis.* hoc est; omnia omnino, quæ vos dissueritis, vincula. Veritati igitur assidet, peccatores non modò culpâ, sed & pœnâ, è peccatis natâ vinctos esse, indulgetque idcirco, vt à culpâ dimittamur, applicando nobis merita per Pœnitentiæ Sacramentum, & à *pœna*, pendendâ nobis restante per applicationem illarum satisfactionum, Indulgentiarum nobis beneficio adhibitarum. Non foret demonstratu operosum, veram hanc doctrinam

Auctoritas conferendi indulgẽtias D. Petro & successoribus data.

in

in praxi fuiſſe verſatam ab Apoſtolorum, in hoc vſque tempus, niſi prolixitatis fugax forem; plurium appetentior Bellarminum tractatu de Indulgentijs, alioſque Doctores conſultum vadat.

CAPVT XLI.

Biſarij generis Indulgentiæ Zonigeræ Sodalitati collatæ. Item principes rationes, quæ SS. Patres ad hoc inſtigarunt.

ANnotatu dignum eſt, Indulgentias, quarum hoc in opuſculo meminimus, alias ſuperſtitibus, alias extinctis conceſſas; aliter ijſdem atque aliter impendi. Illis enim per modum iuridicæ abſolutionis; his autem per modum ſatisfacere ſatagentis ſuffragii; ita vt, quemadmodum aliquis aut eleëmoſynam dilargiens, aut genium fraudans, aut peregrinationem ſuſcipiens pro denatis, non adimit illis pœnas, ſed in eum finem dedicat Deo vnum è prędictis pijs operibus, vt id Deus vitâ functorum nomine ſuſcipiens, illos à tormentis quibus alioqui perdurandum fuiſſet, deuocare dignetur: compari ratione, dicente Pontifice Maximo, quòd exequēdo hæc

Differitas inter Indulgētias viuorū, & mortuorum.

hæc aut illa pietatis ſtudia, anima quædam è purgatoribus rogis deducenda ſit, non abſoluit iuridicè huiuſcemodi animam à debitis ſupplicijs (quod facit viuis, condonans illis *culpam* per Sacramentum Pœnitentiæ, & *pœnam* per Indulgentias) ſed offert dumtaxat præſentatque Deo exuberantia IESV Chriſti & Sanctorum merita pro tali animâ; quibus ſic ab illo animæ nomine acceptatis, eidemque aſſignatis, euadit pœnas in igneo lacu ex aſſe perſoluendas.

Intercedit quoque differentia nonnulla inter preces ſiue ſuffragia ordinaria, quæ à pijs pro exanimium ſalute concipiuntur (quod genus ſunt Officium Defunctorum, peregrè abitiones, eſuriales feriæ, Miſſarum litamina) & inter ea quæ Tiberinus Archimyſta facit Indulgentiarum virtute. Priora enim illa priuato cuilibet Deo pro eiſdem offerre licitum eſt. Indulgentiarum autem modo, nemini homini præter quam Romano illi ſacrorum Promo-condo: cùm ad hoc requiratur iuriſdictio opulentiſſimum hunc theſaurum diſponẽdi ac diſpenſandi, quæ priuato nulli ſed illi ſoli competit, qui audiit: *Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Verùm, quia nõ ſufficit cancellari depoſitum hoc in Eccleſiâ, nec

Diuerſitas inter ordinaria ſuffragia, & illa quæ ſiũt per modum indulgentiarum.

S deeſſe

deesse Indulgentias, vt valescant, erogandi auctoritatem: sed adhæc necessarium est, vt probatum sibi finem (quod proximo dictum capite) earum præbitor prædestinet: Ne ergò locus relinquatur, num hæ, quibus Sodalitas nostra gaudet tales sint, addubitandi; rursus animo imprimendum est, eas in nos grauibus ac serijs de causis effusas esse. Nam primaria finis, quæ Sedem Apostolicam illexit, est supremi Numinis, & consortium cælicolarum gloria, resarta eius cum Ecclesiâ suâ beneuolentia, adulterorum dogmatum suppressio, Summatium Christianorum vnanimitas, periclitantium salus animarum. Quæ strictim omnia postulat reuoluta à nobis quotdiebus terdecies Dominica precatio, & Mariana Salutatio: in publicis potissimùm processionibus quartâ cuiuscuius mensis Dominicâ in hunc finem (quod pleniùs antè) disponi solitis.

Indulgentiæ sunt in bonũ finem Sodalitati huic partitæ.

Cap. 37.

CA-

CAPVT XLII.

Preces aliquot Sodalium commodo ab Auctore concinnatæ,

Ad beatam Deiparentem

ORATIO.

In aspero ac difficili temporis articulo quam sub processione recitare conueniet.

O Excellentis gloriæ Protonympha; redemptionis nostræ parentis parens: quanto felicitatis es aucta prouentu, quæ modò choris Angelicis superlata, cælestis regni fastigium occupas! Quàm auspicato nata sidere, ô totius beatissimæ turbæ Imperatrix! quàm verò nos è diuerso improsperi, quàm calamitosi in belligerante hâc Ecclesiâ! Tu iam in portu stas periculi secura; at nos heu! mediis huius malorum omnium feracis pelagi fluctibus ac procellis infixi palpitamus. Tu nunc Diaboli, mundi, carnis, mortis, Tartarique victrix triumphum ducis; tu iam diu auernalis hydri sinciput distriuisti. nos autem (ô fortunæ ludibria!) nos inquam

palliduli adhuc attremimus, dubiæ expositi omnium insolentum hostium clementiæ. Eia dic, dulcissima rerum; nunquamne te subitura est districtionum prostratam hanc patriam perseueranter angentium recordatio? Non illucebit vnquam illa dies, quâ tu *misericordes illos oculos tuos* confuso huic miseriarum nostrarum chao affiges? Fieríne queat, vt vitiorum fasce onustos perpetis obliuij sepulchro obruas? O Maria! ô mel merum Maria! O mare misericordiæ Maria! cùm ea pectus tuum insideat benignitas, vt in Galilæis nuptijs deficientis vini supplementum à filio carissimo, hęrentibus ac stupentibus consessorum oculis fueris eblandita, quidni peræquè illi deuelas, iacentem hanc regionem tot iam annis vino solaminis destitutam clanguere? O ipsâ mansuetudine mitius pectus; Hoc age, tuo intercessu, vt aquæ angustiæ nostræ optatâ versurâ in lætitudinis vinum emendetur.

Ai tuo illi filio qui tibi in deliciis est: *Vinum non habent* siticulosi Christiani. Aduoluere Domino Deo exercituum, vt Assuero Hester, & ab illo gentem tuam exitio deputatam tuis precibus redime. Quia enim tu illius animo flagrantiori inhæres amore, quàm Hester Assueri, licet medij regni portionis oblatione diues, certo tamen

men nobis certius eſt, quin & ille te in vaſtiſſimi miſericordiâ iuſtitiâque conſtantis imperij ſui conſortionem ſit admiſſurus: illaque ſibi reſeruatâ, hanc tibi perditis peccatoribus didendam ceſſurus. Hinc enim eſt quod audis & acclamaris: *Mater miſericordiæ.* Succurrat tibi ô Regina, ô clementiæ medulla, concuſſam & labentem hanc patriam â validâ infernalium legionum coronâ non laxiùs quàm olim Bethuliam circumpreſſam, ideoque propitiam Iudith indue, quæ contraria nobis caſtra diſijcias ac profliges. Conſidera, ô pietatis benigne ſinus, Deum ac Dominum noſtrum furoris panopliâ formidabilem nunc cum pauidâ peccatorum alâ, non ſecùs quàm Dauid quondam cum ingrato capite Nabal, vt ad perniciem vellat, congredi; quapropter age nobis hodie perbenignam, Dauidis cęleſtis indignationem remollientem Abigaelem. Suade illi, gladium vt recondat, iam diu in nos diſtentum arcum retendat. Collige omnes lacrimas, ſingultus, ſuſpiramina deiectorum huius ſoli incolarum, & in cholericum ſobolis tuæ ignem, queis effocetur, effunde. Obtende illi ſacroſanctum vterum, eius olim ad nouem menſes habitaculum. Exere illi ſacerrima, quæ exuxit vbera. Enuda illi virginea

genua ante illius præſepe quondam inflexa. Offer illi lenes ac læues illas manus, quæ toties illum attrectauere. Implecte illum felicibus vlnis, quibus toties pro toro regali incubuit. Fac nectareum fragrantiſſimi oris tui liquorem reſorbeat. Irrue in illum hanc Iacobi mittens vocem: Adſtrictiùs te mihi, mea lux, conglutinabo, nec dimittam te, niſi afflicto huic populo benedixeris, & omnes inimicos eius, tam qui viſui obſeruantur, quàm qui ab eo ſubmoti ſunt, difflaueris. His ſi votis acclinata ſis ô alma Princeps, vocamur in ſpem videndi, ſubrutum atque euerſum hunc patriæ ſtatum in optatiorem habitum reuocatum.

ORATIO.

Ad S.P.N. Auguſtinum pro hæretici lolij eradicatione.

MAgne Patriarcha, glorioſeq; Pater Auguſtine, qui è faucibus ſanguinariæ hęreſeos inaudito quodam ac prorſum paradoxo modo erupiſti, adeoque ſtrenuè cum informi hoc monſtro præliatus es, vt ſummo iure *Mallei hæreticorum*, appellationem traxeris, ad te hodie noſtra vota, et per pu-

ſillas

ſtillas dirigimus preces, vt tuâ interceſſione aurigante, ad aures Domini Dei Sabaoth transuehantur. Hæreſis eſt, ô illuſtris Eccleſiæ Doctor, quæ nos vel maximè in ſubactâ hâc conuellit regione; quinimo; vnica illa cunctarum cladium fax eſt ardentiſſima. Hæc illa eſt, quæ in inſontes Christi agnellos morſus crudelium luporum nihil penſi habentium, carnem cruorémque noſtrum abligurire, niſi & animam ſpe deuorent, irritat & exacuit. Hæc illa eſt, quæ oppida noſtra peſte & alijs æquè malignis vitiat contagijs. Hæc illa, quæ vrbes noſtras ſolat, funeſtat, perpopulatur, vt eas eadem in ſua mutet diuerſoria. Hæc illa, quæ campos noſtros cadaueribus obtegit: Hæc, quæ amplius centena viduarum millia, maribus; orphanorum, parentibus orbauit. Hæc, è cuius ſinu, extrema rerum, cui modò ſubiacemus, aſperitas manauit. Hæc quæ diſſenſionis pomum Belgiæ Megiſtanibus obiecit. Hæc, quæ rebellionis ignem in viſceribus Regalium ſubditorum, confouet, educitque. Hæc eſt, quæ nihil prius habet in votis, quàm vt è nobis monſtruoſum & ἀκέφαλον aliquod corpus conflet. Hæc, quæ neq; Regem, neq; Principẽ, neq; Dominum, neq; Religionem, ne Deũ

genua ante illius præſepe quondam inflexa. Offer illi lenes ac læues illas manus, quæ toties illum attrectauere. Implecte illum felicibus vlnis, quibus toties pro toro regali incubuit. Fac nectareum fragrantiſſimi oris tui liquorem reſorbeat. Irrue in illum hanc Iacobi mittens vocem: Adſtrictiùs te mihi, mea lux, conglutinabo, nec dimittam te, niſi afflicto huic populo benedixeris, & omnes inimicos eius, tam qui viſui obſeruantur, quàm qui ab eo ſubmoti ſunt, difflaueris. His ſi votis acclinata ſis ô alma Princeps, vocamur in ſpem videndi, ſubrutum atque euerſum hunc patriæ ſtatum in optatiorem habitum reuocatum.

ORATIO.

Ad S. P. N. Auguſtinum pro hæretici lolij eradicatione.

MAgne Patriarcha, glorioſeq; Pater Auguſtine, qui è faucibus ſanguinariæ hęreſeos inaudito quodam ac prorſum paradoxo modo erupiſti, adeoque ſtrenuè cum informi hoc monſtro præliatus es, vt ſummo iure *Mallei hæreticorum*, appellationem traxeris, ad te hodie noſtra vota, et per pu-

ſillas

